BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
G
36
NAPOLI
LVIII
G
6

XLVIII
g
36

DE

INITIIS ECCLESIÆ FOROJULIENSIS DISSERTATIO,

HISTORICA, CHRONOLOGICA, CRITICA, Profano-Sacra.

ACCESSERE APPENDICES TRES:

I. Præſulum Forojulienſium Nomenclaturam Chronologicam:
II. Diatribam de Eccleſia Reïenſi & Monaſterio Lirinenſi:
III. Notas uberiores in Concilium Arelatenſe, in causâ Theodori Forojulienſis Epiſcopi & Fauſti Abbatis Lirinēnſis, exhibet.

Auctore JOSEPHO ANTELMIO *Forojulienſi Canonico.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

AQUIS-SEXTIIS,
Apud CAROLUM DAVID Regis, Cleri & Urbis Typographum.

M. DC. LXXX.
CUM SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO DOMINO

D. HIERONYMO

S. R. E. EPISCOPO CARDINALI

GRIMALDO

AQUENSI ARCHIEPISCOPO

S. P. D.

JOS. ANTELMIUS Forojulienſis Canonicus.

IOANNES Caſſianus Provinciæ noſtræ & Cœnobitici Ordinis quondam decus, ANTISTES EMINENTISSIME, *Collationes SS. Patrum ordinare rogatus à S. Caſtore Aptenſium Epiſcopo, inter laboris ejus moras ad ſuperna gaudia evocato, quas eidem ſubarrhaverat ipſius Operis primitias, S. Leontio Forojulienſi ejus germano tùm ſuperſtiti conſecrare non hæſit; quòd iſte, inquit,* Caſtori & Sacerdotij dignitate, & germanitatis affectu, & ſancti ſtudij fervore conjunctus hæreditario fraternum debitum jure depoſceret. *Cujus qui-*

dem facti exemplum à me in hoc qualicunque opere adductum, illuſtratum, & commendatum ſatis per ſe commonuiſſet, De Initiis Eccleſiæ Forojulienſis ediſſerentem, non alium ab eo adire Patronum, qui ejuſdem inclitæ Sedis mox vacantis, non magis Sacerdotij Eminentiâ, quàm Sacræ germanitatis affectu, & ſancti ſtudij fervore digniſſimus Metropolites, pro officij ratione, tùm ſuavibus monitis, tùm paternis adhortationibus, quaſi alter Antiſtes, duorum illorum Præſulum nuper defunctorum, egregiè munus adimplet, quorum etiam gratiâ & iteratis juſſionibus id opus ſuſceperam. Hoc ſanè debitum, ARCHIPRÆSUL EMINENTISSIME, Tibi, vel ex eo, pluſquam hæreditario jure devolutum nemo inficiabitur. Cur enim me in hac ſacrâ Tuâ Provinciâ & Sacerdotio ornatum, & vicarium ex parte S. V. munus obeuntem, otij ſimul & negotij mei rationem, laborumque ſaltem primitias Metropolitæ meo debere memorarem? Cùm potiùs ſi his, aliiſque, id generis, immorandum, prædicare convenientius eſſet, Te inter, illoſque, quos mihi illuſtrandos aſſumpſi inſigniores Præſules, tantam advertiſſe ſimilitudinem, quantam agnoſcit S. Doctor Auguſtinus in filiis, quos Eccleſiæ pro Patribus, hoc eſt Apoſtolis, natos eſſe gratulatur, in Pſalmum XLIV: tum maximè, dùm ACCEPTI laudatiſſimi Sacerdotis Electi pietatem, & in Sacrum Clerum reverentiam, non ſolum moribus Tuis caſtigatiſſimis præfers; ſed etiam, dùm meliori conſilio Clericis ampliſſimi Aquenſis Seminarij Tua liberalitate fundati & dotati

regulas ad ſacram Ordinationem ſuſcipiendam præſcribis, tantâ prudentiâ & maturitate digeſtas, ut illæ, quaſi ſuperno afflante Spiritu, dictatæ, ipſum ACCEPTUM *Sacerdotij metû præturbatum ſecurè direxiſſent, quandoquidem & ipſa non modo à ſubjectis paſtorali Tuæ ſolicitudini Diœceſibus, ſed ab ipsâ Apoſtolicâ Sede omnium Magiſtra, ad exemplar abſolutiſsimum ſuſcipiantur. Quæ etiam Tui cum noſtris affinitas non minus conſpicua eſt; dùm verè Apoſtolici operarij* LEONTIJ *ſolicitudinem curis & laboribus indeſinentibus, caritatem largitionibus abundantiſsimis, ſed præſertim occultis æmularis; adeo ut Tibi laus illa, quâ magnus Apollin. Sidonius S. Patientem Lugdunenſem Epiſcopum celebravit, apprimè conveniat*, præveniſſe manibus illos, qui non valent ad te pedibus pervenire, eorumque terſiſſe lachrymas, quorum oculos non vidiſti: *Dùmque tandem tertij ejuſdem Eccleſiæ Columinis* THEODORI *noſtri veſtigia premis, in ſacris Sodalitatibus inſtituendis, in conſiliis à ſupremâ Sede requirendis, in juribus Pontificiis fortiter tuendis & vindicandis. Quæ utique per ſe magna, & ultro huic meæ nuncupationi convenientia eſſent; etiam citra eorum beneficiorum recenſionem, quæ à Clariſsimâ* GRIMALDA *Gente ſuſcepiſſe tradunt Forojulienſem Eccleſiam, quam, ſub Saracenorum jugo & oppreſsione, miſerabiliter ab annis LXXX. ingemiſcentem, liberam tandem fecit pugna proſpera, ſtrenuiſsimi illius Gibelini* DE GRIMALDIS, Viri, *ut habent Chartularia noſtra*, magni cordis & egregiæ magnificentiæ, *qui barbaram hanc Gentem ex Fra-*

xineti arce, in meditullio Diœceſeos ſitâ propulſando, nomen & celebritatem antiquæ Sedi reſtituit: namque aliis propriis, Tuis virtutibus innumeris, CARDINALIS EMINENTISSIME, *longè magis quàm externis, mihi hic venires commendandus, ſi geſta Tua attingere, vel locus, vel propoſitum paterentur. Sed cum ea tam arcto ſpatio contrahi non poſſint, quæ tanta ſunt, de his multò præſtat ſilere, quàm pauca dicere.*

Fori-julij IV. Kal. Maij
an. M. DC. LXXX.

PRÆFATIO.

CUM libros Præfationibus exornare & communire, in jus publicum derivatum ſit, ei quem expono, multis aliis ornamentis & adminiculis deſtituto, hoc ipſum ſubſidium denegare, tàm imprudens, quàm ſingulare conſilium eſſet. Præfari itaque Lectoremque in primis monere convenit, me Eccleſiæ Cathedralis Forojulienſis Collegio ab annis tredecim cooptatum, inter ea ſtudia, quæ Eccleſiaſticos homines decent, ad illud primariò animum appuliſſe, quod mihi ejuſdem Eccleſiæ notitiam compararet: hinc nihil officio convenientius præſtare poſſe ratus, quàm ſi quietis & otij ejus fructus, quos mihi ipſa faciebat, in ipſammet noſcendam, & ſi vires ſuppeterent, illuſtrandam, grati animi ergò rependerem; inde veritus, ne alias occupationes, hâc prætermiſsâ, conſectando, cenſorium Comici probrum in me concitarem:

Tantùm ne eſt abs re tuâ otij tibi,
Aliena ut cures, eaque nihil, quæ ad te attinent?

Hæc itaque ſtudij mei ratio; ex eo autèm collecta evulgandi occaſio, hæc prorsùs fuit.

SCILICET cùm hoc literatiſſimo ſæculo prodierint

omnium fermè inſignium Eccleſiarum ſingulares Hiſtoricę, & ex noſtris præſertim Provincialibus, ut alias præteream, Arelatenſis, Aquenſis, Maſſilienſis, Cemelio-Nicienſis, Avenionenſis, Reïenſis, Dinienſis, Siſtaricenſis, Vaſionenſis, *&c.* peculiares ſortitæ fuerint Hiſtoricos, viros aut ſuo nomine magis notos, aut illâ operâ ſatis commendabiles; quòd Forojulienſis noſtra, memoratis Sedibus, ſive antiquitatem, ſive ſanctitatem ſpectes, non inferior, nullum hactenùs nacta erat, qui ejus Hiſtoriam ſcripto committere ſuſtinuiſſet, tàm gravatè ferebam, tàmque indecorum reputabam, quàm ſi quis, aliundè ditiſſimus in commune convivium veniret ἀσύμβολος. Quid enim R. P. Ludovicum *du Four* è Societate Jesu, ab anno M. DC. XXXVI. S. Leontij Epiſcopi vitam prolixiori oratione conſcripſiſſe memorem? Cùm & hæc ſingulare ſit thema, in quo etiam non Hiſtorici, ſed Encomiaſtæ laudem & conſecutus eſt, & conſequi voluit. Ergo major inde ſemper cùm hujus, tùm amplioris ſuſcipiendæ Provinciæ inceſſit cupido. Quid autem rationabilius, ut dùm alij Mycenas ſuas, ego viciſſim Spartam, quam ſortitus ſum, adornare ſatagerem? Et Profana quidem Civem, Sacra autem pertractare non alium reſpiciebat quàm Canonicum. Unde utroque titulo cohoneſtatus, aliiſque è noſtris meliora Chariſmata æmulantibus, utrumque itidem onus, etſi minùs prudens in me ſuſcepi, confidens ſaltem, id mihi ad eorum excuſationem, quæ minùs rectè tractata videbuntur, egregiè viam paratum ire, utque quiſquis legerit:

Det

Ovid. lib. 3. de Ponto eleg. 9. *Det veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis*
Cauſſa, ſed utilitas, officiumque fuit.

Et hoc ſanè alterum incitamentum fuit, cur ad illud operæ me ſeriò convertens vetuſtiſque noſtris tùm Eccleſiæ, tùm Urbis documentis, majori curâ eruderatis, & evolutis, aliis monimentis annotàtis; vicinarum ſedium ſcrinia (noſtris ob tot expilationes & incendia tolerata, haud omnia ſuppeditantibus) exploratum ivi, ex quibus quæ ad inſtitutum meum conducerent decerpens, domeſticiſque ſubjungens, omnia in faſciculum congeſſi, qui per ſeriem temporum digeſtus, ſi non integram, præcipuam ſaltem Hiſtoriæ noſtræ partem conficit, cum aliquantâ morâ prælo ſupponendam.

N E Q U E enim hîc quidquam juvaret, quorundam morem verbaque referre, quorum iſthæc ſolita vulgandi operis defenſio eſt, ſe, ex communicato eruditis viris propoſito, exhibitiſque lucubrationibus, cum intellexiſſent, eas ab aliis valdè probatas, ab his vehementer expetitas, vel conſilio, vel laude, vel juſſu tandem eaſdem publicâ luce donare coactos fuiſſe. Siquidem patrio honore, domeſticiſque exemplis duntaxat ſtimulatus & cœpi & perſecutus ſum operam, *nobiliſſimi Civis* inſtar, ut ait alicubi Caſſiodorus Senator, *Patriæ meæ augmenta* recogitans. Etſi autem non defuerint juſſus & conſilia, imò & laudes, (quot enim cum Comico, *omnia aſſentari ſibi imperant?*) hæc nonniſi currenti calcar, ut aïunt, ſuppugere, ſed hâc ex meo adhibitâ veteris parœmiæ cautione Σπεῦδε βραδέως lentè feſtinare commo-

c̃

nente. Unde iterum mihi eò æquiorem Lectorem eſſe decet, quò brevius, etſi fortaſſe non ſatis adhuc maturum, aut expolitum opus nunc vulgatur: propoſui etenim non Hiſtoriam Forojulienſem integram, ſed ſucciſam ex eâ diſſertationem publicæ luci præmittere, ut, ex facto quodam rei periculo, ſinceriùs noſſem.

Horat. *Quid ferre recuſent,*
Quid valeant humeri?

In hoc inſuper prudentiorum veſtigiis inhærere mihi viſus ſum, quibus hujuſcemodi intactas materias tractaſſe dùm contigit, ſolenne fuit, ut proluſoriâ quâdam exercitatione opus intentum delibarent, ejus conſcribendi rationem omnem exponerent, quatenus, inter moras, aliorum conſilio & operâ fruerentur. Quod mihi eandem palęſtram dimetienti tantò diligentiùs obſervare neceſſe fuit, quantò, propter tenuitatem meam, alienâ ope plus cęteris egere perſuaſum eſt. Vt itaque hujus quod nunc prodit opuſculi, ejuſque cui præit, methodum & ordinem pandam, rem omnem his paucis habe.

De *Initiis Eccleſiæ Forojulienſis* Diſſertatio noſtra inſcribitur. Sacra enim nobis præcipuè illuſtranda ſelegimus. Sed cùm ex ſæculari urbium ſtatû, ſincerior hauriatur Eccleſiaſticæ dignitatis notitia; quandoquidem Canonica diſciplina, à Romanis Principibus obſervatam in diviſione Provinciarum, & privilegiis civitatum rationem, in ſacræ Hierarchiæ faſtigiis collocandis ſecuta fuit: ſtrictim de Fori-Julij ſæculari nobilitate præfati ſumus, Urbemque iſtam ab aliis cognominibus, ſpecialibus

ſignis diſtinximus, unde tot errorum, tot æquivocationum cauſæ prodierant.

De Eccleſiæ autèm dignitate ſic diſſeruimus: ejus antiquâ præſtantiâ, non fictis, ſed genuinis, etſi ſubobſcuris characteribus adumbratâ, in quinque aut ſex eorum, qui primi noti ſunt, Epiſcoporum geſta, exactiori Chronologiæ calculo primùm deterſa & elucidata, delapſi ſumus. Ad id præcipuè excitati, quòd advertiſſemus, eos, etſi IV. & V. Chriſtianum ſæculum, Eccleſiæ profectò florentiſſimum, magnâ doctrinæ ſanctitatiſque laude illuſtraſſent, hactenus tamen aut inglorios jacere, aut fictis laudibus commendari, cùm propriis eſſent commendatiſſimi. Quod ſanè in S. Leontio tàm cultu & patrocinio apud noſtrates, quàm famâ & ſanctitate apud exteros celebrato ſpecialiùs apparebit, de quo certè & aliqua ſingularia, ignotaque prorſus oſtendiſſe, & plura vulgata dedocuiſſe ſatis palpabunt, qui hæc attigerint. Quòd autem S. Leontij res, cum S. Honorati Lirinenſium Cœnobiarchæ actis, tàm conjunctæ ſint, quàm fuerunt ipſi invicem exquiſitiore glutino neceſſitudinis adunati, Lirinenſia quàm plurima delibavimus, eóque argumenti ratione penitus illiciente, veneranda Reïenſis Eccleſiæ initia illuſtravimus, priorumque Antiſtitum ſeriem ad certam Chronologiam reduximus: quæ duo tamen tanquam paulò ab Eccleſiæ Forojulienſis Initiis ſejuncta, ſejungere itidem, & ſub peculiaris *Diatribæ* titulo, in appendicem relegare convenientius cenſuimus. His tandem *Mantiſſæ* loco illigatum eſt Concilium Arelatenſe, habitum

in celebri cauſâ Theodori Forojulienſis Epiſcopi, & Fauſti Lirinenſis Abbatis, nec non Maximi Reïenſis, ratione Juriſdictionis excitatâ: cui ad pleniorem planioremque intelligentiam eorum, quæ in præmiſſis de hoc argumento delibata erant, adjunctæ ſunt uberiores notæ. Cæterùm & alia longè plura, etiam ad generalem Hiſtoriam & antiquitatis illuſtrationem ſpectantia, in hâc qualicunque opellâ digeſta eſſe non moror dicere, quæ utique ex ejuſdem lectione, non ex Prologo manifeſta fieri debere liquidum eſt.

Sed ab eo alienum fortè non erit profiteri, me utrobique veritatem ſedulò & ſincerè indagaſſe: hanc enim ſemper aſſecutum eſſe, quis niſi imprudens & humanitatis prorſus immemor gloriaretur? Certè nunquam tantum penes me vel patrius amor, vel Scriptorum auctoritas, aut alia quæcunque invaluere, ut non utriſque, quæ vera, quæ genuina reputabam, anteponerem: altè retinens primam Hiſtoriæ, ſeu Hiſtorici legem eſſe, non ſolùm, *ne quid falſi dicere*, ſed & *ne quid veri non audeat*. Hæc præcipua Hiſtorici cura: hoc primum ſtudium meum fuit, in quo equidem plus operæ, quàm in ornatu ſermonis repoſui. Enimverò, ut egregiè S. Auguſtinus *lib. ſecun. contra Creſconium Grammatic. cap. I.* reſpondit: *Si Demoſthenes clariſsimus Oratorum, quibus verborum tanta fuit cura, quanta rerum auctoribus noſtris: cum tamen ei nonnullam locutionis inſolentiam objeciſſet Æſchines, negavit ille in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, illo ne, an illo verbo uſus fuerit, & an hûc an illûc*

manum porrexerit, quantò minùs nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando ſive hoc, ſive illud dicamus, intelligitur ſine ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione ſermonis, ſed in demonſtratione veritatis eſt major intentio. Styli itaque culpam, tanto ſuffragatore, non deprecor, quem etſi nec terſum nec mediocrem eſſe ſciam, minus dolebo, dum maximè in Hiſtoricis haud apprimè neceſſarium cum multis agnoſcet Plinius, qui iſthæc quoquomodo ſcripta placere dicit. Unde nec meliorem dare curabo, in ipſa Forojulienſis Urbis & Eccleſiæ integrâ Hiſtoriâ, cujus interim ſpecimen & ideam hîc præmittere haud extra operam judicabitur.

Primus liber de Vrbis antiquitate, fundatione, illuſtratione, fama, ædificiis, cimeliis, Græcorum & Romanorum monimentis: variis direptionibus, aliiſque ad priſcum nuperumque illius ſtatum ſpectantibus fusè tractabit.

II. De Initiis ſuſceptæ primùm in Provincia fidei, tum de Eccleſia habebit, in quo ejus origo, antiquitas, & ſanctitas ex variis documentis, ſed præcipue ex vindicatione, recenſione, geſtiſque SS. Martyrum, aliorumque Cœlitum, qui in ea floruerunt, illuſtrabitur. Dotatio ex Principum, aliorumque reſtitutione, vel liberalitate, jura, libertates, privilegia ex variis actis authenticis hîc inſerendis manifeſtabuntur.

III. Historiam Præſulum Chronologicam, ab initiis inſtitutæ Sedis, ad finem X. ſæculi complectetur.

IV. Idem argumentum ab inde ad noſtra tempora, ſedentemque Præſulem perſequetur.

V. Eccleſiæ ſeu Capituli Cathedralis dotationem, bonorum ab Epiſcopali menſa diviſionem, jura, libertates, uſus, Statuta, privilegia: nec non Collegiatarum V. Diœceſeos Eccleſiarum fundationem dabit. Queis ſingulis Præpoſitorum ſeu primarum Dignitatum, imò & Perſonatuum Cathedralis Eccleſiæ Catalogus hactenus ineditus, corollarij vice, ſuccedet.

VI. Diœceſeos accuratam deſcriptionem ſuppeditabit, in qua & Parœciarum, & Sacerdotiorum ſtrictim jura, & recenſiones; ſed fuſiùs inſignis Lirinenſis Cœnobij, aliarumque Abbatiarum, fundatio, celebritas, Abbatum ſucceſſio, *&c.* exponentur. Ex occaſione autem viæ Aureliæ per mediam Diœceſim deductæ, varia antiquitatis monumenta, ad pleniorem ejus viæ, locorumque in eadem memoratorum notitiam conducentia, referentur & illuſtrabuntur.

AMPLA ſatis Provincia, onuſque grave, cujus interdum *gemuit ſub pondere cymba*, ſed quod tandem multæ manus levius reddent, namque πλέιων ἢ πλειόνων μελέτη, ſi videlicet tanto præſidio munitus prodeam, pro quo ſanè impensè rogare non deſinam.

SED ſiſtito hîc paululum, Lector, & priuſquam ad opem tuam recurram, patere ut quâ, quorumve hactenus & adjutus & præventus fuerim, ob oculos ponam, & ex intimo cordis affectu prædicem. Certè cum nihil ingrato homine ſit vituperabilius, imò, ut habet Menander apud Auſonium, *nihil homine terra pejus ingrato tulerit*; poſſet eò minùs hâc occaſione, mea excuſari tacitur-

nitas, quòd me exinde primum hujuſce propoſiti auctorem venditans in eundem illiderem ſcopulum, adeo ut & in defunctos parum æquus, & in propinquos & beneficentiſſimos Patruos, Patronoſque inofficioſus exiſterem.

Hi ſunt Nicolaus & Petrus *Antelmius* Canonici, qui ambo nullis laboribus, nulliſque ſumptibus pepercerunt, ut Eccleſię iſtius monumenta undequaque perquirerent, & recuperarent. Et Nicolaus quidem omnium primus Pontificium Archivum cunctis ferme documentis ſpoliatum priſtinæ integritati reſtituit, actaque innumera in duo inſignia volumina colligi curavit. In ſtudio ſuo & exploratione felix quidem, ita tamen, ut fortuna induſtriam non ſuperaverit: nam præter ſumptus ex ære proprio impenſos, non ſemel in vitæ diſcrimine verſatus eſt, dùm ab detentorum manibus, quà Epiſcopi nomine, quâ Capituli & Cleri univerſi (cujus per annos XL. generalem Syndicum laudibilitèr egit, eaque ex parte, nec non Aquenſis Provinciæ, Comitiis Cleri Gallicani an. M. DC. V. & VI. Lutetiæ habitis interfuit) varia & exquiſitiſſima authentica inſtrumenta excerpſit, pro quo videre erit ipſa Epiſcopatus Tabularia, in actis, regeſtiſque an. M. DC. XXXIV. *Menſ. Martij* idipſum fuſiori commendatione teſtificantia. Et tam ſedulus quidem veterum chartarum indagator celebratiſſimo illi literarum parenti (qui tum non Provinciam modò, in qua degebat, ſed Orbem dixerim, quem ſuæ fama eruditionis penetraverat, illuſtrabat) Nicolao alteri Fabricio *Peireskio* Aquiſex-

tienti Senatori, & Aquiſtrienſi Abbati in his operam aſſiduam præſtanti non notus & neceſſitudine non conjunctus haud eſſe potuit. Quod ſatis teſtantur literæ hinc inde datæ innumeræ, quibus plurima Antiquariæ ſcientiæ myſteria explanantur. Elicuit tum *Peireskius* à Nicolao Antiſtitum Forojulienſium Catalogum juxta tabularum fidem tunc primùm ordinatum, curavitque paulò poſt, ut novâ factâ recenſione, eundem ampliorem mitteret ad V. Cl. F F. *Sammarthanos*, opus eximium Galliæ Chriſtianæ evulgare parantes. Quod etiam viri optimi his verbis memorare non prætermittunt: *Antiſtitum Catalogum & perantiqua Epiſcopatus documenta, jubente Barthol. Camelino Epiſcopo, Nicolaus Antelmius eruit è veteribus Capituli monumentis, quæ in ordinem digeſſit. Vir ſanè* (inquit P. Lud. *du Four libelli citati cap. V.) cui natura acre ingenium & negotiorum continuata meditatio ſolertiam in rebus agendis contulerat ſingularem, quique adepti Canonicatus tempore & ætatis prærogativâ inter Collegas primus*, &c. mortalitatem explevit *VI. Non. Martij an. M· DC. XLVI.*

Petrus *Antelmius* Nicolao Patruo ex ejuſdem ſpontanea abdicatione ante aliquot annos in eodem Collegio ſucceſſerat, quem idem P. *du Four* inter *viros eruditos eminentem* proponit *cap. I. ejuſdem libri*, concinitque variis in locis ſuæ Provincialis Hiſtoriæ Bucheus, aliique; ne quis de noſtris, abſque teſtibus magnificè nos loqui cauſetur. Hic igitur Lutetiæ exactis Theologiæ, Juriſque ſtudiorum curriculis, & doctorali laureâ in utraque Facultate

cultate cum laude donatus, in Patriam redux, ad antiquitatis etiam noſtræ tùm profanæ, tùm ſacræ inquiſitionem ſubciſivis horis animum quandoque appellere non renuit; ad id operæ præcipuè ſtimulatus, quòd Patruus ſenio jam confectus illum jam dudum cœpto cum V. Cl. Nic. Fab. *Peireskio* literario certamini inſtaurando ſuccenturiaverat. Unde ex tunc major cura, majóreſque impenſæ adhibitæ in perſcrutatione omnium vetuſtatis monimentorum, quæ hâc tempeſtate ex Urbis & territorij tractu eruta produntur. Inter quæ ſanè haud infimum locum notæ antiquiſſimæ Tripos obtinet, in agri Capitularis ambitu repertus, de quo fusè Caſſendus *lib. IV. de vitâ Peireskij* differit, noſque plura, ex iſtius obſervationibus, variis temporibus ex totâ Europâ collecta poſſidemus. Erant & Inſcriptiones omnimodæ, marmora, urnę fictiles & vitreæ, ſtatuę marmoreæ, alięque ex ære Corinthio conflatę, tabellę plumbeæ Gręcis characteribus cęlatę, ſigilla, monetę, numiſmata, aliaque innumera ad rem antiquariam ſpectantia, quibus Muſęum exornabatur. At ſeu ille ęgrè in his operam locaret, ſeu literatiſſimi *Peireskij* ſtudio, non tàm captus, quàm raptus & incenſus eſſet, accedente Patrui conſenſu, pretioſiſſimam illam penum magno labore & ſumptibus comparatam ad eundem liberaliter tranſmittere cœpit ab anno M. DC. XXX. quo fuerat Tripos repertus, cujuſque plures in gratiſſimi animi ſolennem teſtificationem extant epiſtolę. Hinc literarię Reipub. fatis poſt hac erepto *Peireskio*, Petrus ab his aliiſque antiquitatis ſtudiis ma-

gis retractus, ut Theologicis operam daret, in eo tamen Eccleſiaſticam noſtram Hiſtoriam illuſtravit, quòd rejectis, quę de Leontio circunferebantur, commentis, ex probatioribus actis lectiones in officio S. Patroni recitandas, nonnullaſque alias SS. Tutelarium recenſuit & concinnavit, ſtylo gravi & qualem rei dignitas poſtulabat. Vir quidem operæ integrę ſeriò incipiendę perficiendæque, nullâ in re impar, ſed majoribus intentus, publiciſque etiam muneribus prępoſitus, maximâ pietatis, ſcientię, moderationis, prudentię & integritatis laude antiquior item Canonicus obiit *V. Kal. Decemb. anni M. DC. LXVIII.*

HÆC veritati non litare verba, tùm quaſi juſtitij debito, tùm ne aliorum laudem mihi arrogare viderer, nec potui, nec debui: confidens aliàs, fore ut ſaltem (quod de altero Cive Forojulienſi celebratiſſimo, Julio Agricolâ dixit Gener ejus Corn. Tacitus) qualiſcunque commendationis ob laudabilem vitam ſermo, gentilium meorum *honori deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus eſſet aut excuſatus*: etſi in iſtis tantùm operæ non locaſſent, duceſques ad eam non extitiſſent. Cæterùm ut *conditio ultimi ſemper eſt optima*, & pronum planumque eſt inventis addere, Forojulienſis Eccleſię Initia, quæ illi non attigerant, illuſtrare primùm decrevi, tùm alia ad Hiſtoriæ ſeriem deſiderata ſupplere ex probatis titulis, quamprimùm pro virili contendi. Nec labor ingratus fuit, nec poſt eorum curas & collectiones defuit locus ſpicilegio. Nam in Archivo Capituli, cujus mihi cura demandata

eſt, nonnulla documenta incognita hactenus & præ nimiâ vetuſtate neglecta eruderavi & recenſui, plura quoque in alienis manibus vagantia, feliciori, quàm ſperaveram, eventu tandem obtinui, inter quæ omnia, & acta Conciliorum inedita, & Sacramentales, Rituales, Miſſalesſque libri vetuſtiſſimi, Pontificum, Regum, Provinciæ Comitum, Præſulum & Magnatum Epiſtolæ, omnigena Diplomata, aliaque optimæ notæ monimenta extant, quæ mirificè & Hiſtoriam continentem, & Chronologiam probatam faciunt. Ex eis autem, quæ utique tot incendiis & expilationibus fuere ſuperſtites, Analecta diſpoſui, ſub hac vel ſimili inſcriptione, propediem emittenda. *Exuviæ Bibliothecæ Forojulienſis.*

En Paucis quod mihi alij præſtitere, en quod & ipſe ſuper alios præſtiti. Quod ſupereſt (& plurimum quidem adjiciendum ſupereſt) ab humanitate & eruditione tuâ fidenter expecto & ex intimo cordis expoſco, quiſquis ſis, Lector, in hiſce ſtudiis operam collocans: nihil enim mihi antiquius, quàm hæc edoceri; nil tam in votis, quàm hæc ipſa Poſteris commendare. Etenim quantâ impenſiori curâ, ſuas antiquiores Eccleſiæ origines, ſuorum acta Martyrum & geſta Pontificum explorare debeant, crebra docent, ſimul & movent nos inſignium Scriptorum exempla; ſed illuſtre præcipuè quod de Euſebio Cæſarienſi referre memoratur S. Hieronymus *Epiſt. ad Heliodorum & Chromatium*, quippe qui interogatus à Conſtantino Imperatore Cæſaream ingreſſo, ecquid peteret Eccleſiæ ſuæ profuturum? ſapienter reſpondit: *optlus*

ſuis ditatam Eccleſiam nullâ petendi beneficia neceſſitate compelli, ſibi tamen deſiderium immobile extitiſſe, ut quidquid in Rom. Republica geſtum ſit erga ſanctos Dei, judices judicibus ſuccedentes in univerſo Orbe Romano, ſolicita perſcrutatione, monumenta publica diſcutiendo, perquirerent, & qui Martyrum, à quo judice, in qua Provincia, vel Civitate, quâ die, quâve paſſione, perſeverantiæ ſuæ obtinuerint palmam, de ipſis Archivis ſublata, ipſi Regio juſſu dirigerent. Reſponſum ſanè ſuprà laudem! affectus ſimilis haud citra ambitum & ęmulationem eſſe debet. Et ſi me rectè noverim, eo ſtudio Eccleſiam noſtram complecti mihi videor, ut optione exhibitâ, opes, quibus non multùm eget, ejus notitiæ Pontificum, SS. Martyrum & popularium Cœlitum, quam ex omni parte non obtinet, longiſſimè poſthaberem.

Quod ideò tibi mentis meæ arcanum aperio, Lector, quò ſignificantiùs teſtificer, quâ gratiâ poſtulantem devincies; ſi quæ bona, quæ vera, quæ recta, quę ſingularia, quæ pręclara, germanaque de hoc argumento noveris, candidus impertias. Hæc enim jam compertis addita, ampliorem Hiſtorię ſuppeditabunt indaginem. Quod ſi, ut tali auxilio juveris, conſilio iterùm ſuccurras, parturientique obſtetricantem manum accommodes, erit fœtus excultior, & opera gratior: nec majori gaudio afficiar, nec quid uſpiam libentiùs prædicabo, quàm ſi:

Plus multò tibi debiturus ille eſt,
Quàm debet domino ſuo libellus.

Quæ me non minùs incitabit ſpes, quàm Patrius honos, amor, & exempla majorum.

INDEX CAPITUM DISSERTATIONIS

DE INITIIS ECCLESIÆ FOROJULIENSIS.

CAPUT I. *FOrum-Julij plurium Urbium in Orbe aut germanum nomen, aut penè ſimile: ex cujus variâ acceptione, errores varij paſſim exorti annotantur.* pagina 1

CAP. II. *De Forojulienſi Civitate Italiæ: An fuerit Epiſcopalis, quomodo, & quandiù?* p. 4

CAP. III. *De Forojulienſi Galliæ Narbonenſis Civitate, ejuſque ædificiis, ſplendore, famâ, momento, nec non Civium in Veſpaſianum Auguſtum merito.* p. 9

CAP. IV. *Forum-Julij Colonia, Quæ?* p. 16

CAP. V. *Colonia Forojulienſis, cur dicta Pacenſis & Claſſica? Nummus Neronis illuſtratur: Fori-Julij & Ravennæ par conditio.* p. 21

CAP. VI. *De Antiquitate Eccleſiæ Forojulienſis.* p. 25

CAP. VII. *Ex Diœceſeos amplitudine Eccleſiæ Antiquitas adumbratur.* p. 28

CAP. VIII. *Ex Antipolitanæ Eccleſiæ Antiquitate, Sedis Forojulienſis Antiquitas magis adſtruitur.* p. 35

CAP. IX. *Eccleſiæ Græcæ circa Diœceſeon inſtitutionem & diviſionem uſus, cum noſtro ſuperiùs expoſito planè concordans.* p. 39

CAP. X. *Accepti, à Forojulienſibus in Pontificem deſignati, Hiſtoria, ex geſtis in Synodo Valentinâ primâ, refertur & expenditur.* p. 43

CAP. XI. *Acceptum Forojulienſis Cathedræ Protomyſtam non fuiſſe probatur.* p. 47

CAP. XII. *Inquiritur quis ab an. CCCLXXIV. habitæ Valentinæ Synodi, Eccleſiam rexerit: Ex quâ occaſione, Leporij Monachi error exponitur, & retractationis ejuſdem epoche inveſtigatur.* p. 50

CAP. XIII. *In quo S. Leontius, Scriptorum teſtimoniis & monimentis omnis ætatis, Epiſcopus Forojulienſis aſſertus & celebratus repræſentatur.* p. 55

CAP. XIV. *Caſſiani locus expenditur, ex quo Genus & Patria S. Leontij elucidantur.* p. 64

CAP. XV. *S. Leontij Initia Fori-Julij: Epiſcopatus, & ex illius occaſione S. Honorati in Inſulam Lirinenſem appulſus. Viæ Aureliæ veſtigia quædam obiter illuſtrata.* p. 70

CAP. XVI. *Leontij, & Honorati illibata fides commendatur: præpoſteri vitæ illorum Scriptoris mala fides detegitur.* p. 75

CAP. XVII. *Cæleſtini, & Bonifacij P P. ad Leontium Epiſtolæ: earum cauſa, & fidei Lirinenſium defenſio.* p. 81

CAP. XVIII. *S. Leontij Apoſtolatus nobilia quædam veſtigia deprehenſa.* p. 85

CAP. XIX. *Inveſtigatur tempus Leontij obitus, & ad certam epocham primùm revocatur.* p. 88

CAP. XX. *Multi laudum, & præconiorum tituli Leontio ex hac Chronologia adempti. Baronij & Savaronis de quadam Epiſtola Apollinaris Sidonij, varium, ancepſque judicium.* p. 92

CAP. XXI. *Controverſiæ inter Arelatenſem & Viennenſem Præſules expoſitio: Et an illius fuerit quaſi ſequeſter Leontius, ex Reſcripto S. Leonis Papæ? Inſignis Martyrologij Gallicani error detegitur.* p. 96

CAP. XXII. *Traditio Eccleſiæ circa S. Leontij Martyrium haud*

leviter reprobanda: Uvandali Africam occupant, & Piraticâ in oras maritimas terribiles evadunt. p. 100

CAP. XXIII. *Unuſne, an duo Leontij quinto Eccleſiæ ſeculo Forojulienſem Cathedram tenuerint.* p. 106

CAP. XXIV. *Forojulienſis Eccleſiæ traditioni rejectum ad Evarici regnum Leontij Martyrium non præjudicat: Et ex aliis conjecturis roborari videtur.* p. 115

CAP. XXV. *De ſacris Leontij Martyris Reliquiis.* p. 122

CAP. XXVI. *Forojulienſium vota in Maximum Lirinenſem, & eorum in Inſulam appulſus: eidem fugâ elapſo ſufficitur Theodorus.* p. 128

CAP. XXVII. *Theodori Inſtitutum ante Epiſcopatum, quod?* p. 131

CAP. XXVIII. *Theodorus Fauſti Abbatis Lirinenſis auſus compeſcit.* p. 135

CAP. XXIX. *Reliqua Theodori geſta: finis & Elogium* p. 137

CAP. XXX. *Anacephalæoſis Chronologica Profano-Sacra rerum præcipuarum hucuſque tractatarum.* p. 143

Appendix Prima, in qua Præſulum Foro-Julienſium ſeries & Nomenclatura Chronologica ampliſſima & exactiſſima exhibetur. à p. 150 ad 174

INDEX CAPITUM DIATRIBÆ de Eccleſiâ Reïenſi & Monaſterio Lirinenſi.

CAPUT I. *Ex Oratione Fauſti in obitû S. Maximi, Reïenſium Epiſcoporum Chronologia caſtigatur & elucidatur: Epiſcopatus S. Proſperi rejicitur.* p. 175

CAP. II. *Quis Maximo in Epiſcopatu praivit? qui illum exceperint?* p. 179
CAP. III. *Inveſtigantur Monaſterij Lirinenſis Initia.* p. 183
CAP. IV. *Vitæ S. Hilarij Arelatenſis S. Honoratus Maſſilienſis verus eſt auctor. Baſilij Aquenſis, aliorumque ante & poſt ipſum Chronologia obiter caſtigata & emaculata.* p. 189
CAP. V. *De Lirinenſium Inſtituto, & S. Honorati ante Cœnobij fundationem peregrinatione.* p. 194
CAP. VI. *Singularis Lirinenſium Regula genuinis quibuſdam characteribus adumbrata.* p. 198
CAP. VII. *Lirinenſium Inſtitutio ex aliis monumentis inveſtigata & illuſtrata.* p. 202
CAP. VIII. *Lirinenſium propagatio, & ſterilitas in ampliſſimam rurſus fecunditatem regerminans.* p. 205

Sequitur Concilium Arelatenſe ſub Ravennio Epiſcopo, in causâ Theodori Forojulienſis Epiſcopi & Fauſti Abbatis Inſulæ Lirinenſis & Epiſcoporum celebratum Leonis I. Papæ temporibus, cum notis uberioribus, &c. à pag. 210. ad 229

Finis Capitum.

APPROBATIONES

APPROBATIONES DOCTORUM.

NOn ſine magna animi voluptate perlegi Librum, cui titulus eſt, *De Initiis Eccleſiæ Forojulienſis Diſſertatio Hiſtorica, Chronologica, Critica, Profano-Sacra, &c. Auctore D. Joſ. Antelmio Canonico.* Nihilque in eo reperi ſacris Conſtitutionibus, boniſque moribus contrarium: imò, varia Sanctorum Patrum, atque Doctorum teſtimonia, quæ noſtræ huic Provinciarum Provinciæ maximo ſunt in honore: multùmque lucis afferunt, iis præſertim rebus, quæ præcipuas ad noſtrates Eccleſias pertinent, quæque jam ferè ſopitæ erant, & conſepultæ tenebris. Sic teſtor ego infrà ſcriptus Doctor Theolog. & in Sacrâ Pariſien. Facultate Juris Canonici Doctorum Antiſtes. Aquis-Sextiis Kal. *Decemb. an. M.DC LXXIX.*

JACOBUS GAFFAREL.

NOs Frater Gabriel Taulany Ordinis Minorum, Definitor perpetuus & in hac Aquenſi Facultate Sacræ Theologiæ Doctor, & Decanus, fidem facimus, Librum cui titulus eſt, *De Initiis Eccleſiæ Forojulienſis Diſſertatio Hiſtorica, Chronologica, Critica, Profano-Sacra, nec non Appendices annexas, Auctore D. Joſ. Antelmio Forojulienſi Canonico, & Officiali Generali, & in hac noſtra Facultate S. T. Doctore*, æquâ diligentiâ, & animi voluptate perlegiſſe, nihilque in eo deprehendiſſe, quod Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ legibus, & Chriſtianis moribus repugnet, quin immò obſervaſſe in eo multa ſingularia, tam ad profanam antiquitatem, quàm ad ſacram ſpectantia, acri judicio diſcuſſa & è tenebris, quibus circunfundebantur, eruta. Quibus non ſolùm inſignis ejuſdem Eccleſiæ, Provinciæque Hiſtoria, ſed etiam Annales Eccleſiaſtici illuſtrari poterunt: Quare maximopere optandum, ut quam paratam habet nobilis Auctor, integram Hiſtoriam, aliaſque de ſimili argumento elucubrationes, publici juris quàmprimum faciat. Hoc noſtrum de egregio opere judicium. Actum in Conventu noſtro Aqui-Sextienſi 8. Decemb. 1679.

Fr. Gab. TAULANY.

õ

Approbatio altera.

NOs Franciſcus de Bonfils de Guigonnet Doctor in Sacra Theologia, & in utroque Jure, Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ Sancti Salvatoris Aquenſis, M..... de Taillades, Opus quod inſcribitur, *De Initiis Eccleſiæ Forojulienſis Diſſertatio Hiſtorica, Chronologica, Critica, Profano-Sacra, cum ſubjectis Appendicibus Auctore D. Joſ. Antelmio Canonico, & Officiali Forojulienſi S. T. Doctore*, perlegimus & probavimus: tùm quia nihil in eo animadvertimus Fidei, & moribus contrarium, aut ab Univerſæ Eccleſiæ diſciplina alienum: tùm etiam quia probatis monumentis, tàm Sacris, quàm Profanis, aliiſque fortiſſimis conjecturis Hiſtoriæ quamplures intricatiſſimas difficultates accuratè, & ſubtiliter enodat, Antiquiſſimæque Eccleſiæ Forojulienſis dignitatem primùm manifeſtat, &

Juvat immemorata ferentem
Ingenuis, oculiſque legi, manibuſque teneri.

quare ut opus prælo committatur, non minùs utile, quàm neceſſarium judicamus. Datum Aquis-Sextiis XVI. Kal. Maij anni 1680.

DE BONFILS TAILLADES.

PERMISSIO ORDINARIJ.

VIſis Doctorum approbationibus typis, mandari concedimus librum, cui titulus eſt, *De Initiis Eccleſiæ Forojulienſis Diſſertatio*, &c. Authore Domino Joſ. Antelmy, ejuſdem Eccleſiæ Canonico. Aquis die 23. Julij 1680.

PHILIPPE Vic. Generalis & Offic.

CLARISSIMO VIRO

D. JOS. ANTELMIO

ECCLESIÆ FOROJULIENSIS CANONICO ET CHARTOPHILACI.

Primo Patrij ſplendoris vindici.

CONTUMULATA diù Sancta atque prophana decora
Vrbis, ut educas, cogit amor Patrius.
Sic rectè Officiis certatis utrinque, tuique
Vt Patria eſt Mater, ſic Pater es Patriæ.

I. M. C. I. V. D.

HISTORICO FOROJULIENSI

Achroſticum Carmen.

I *Nclyta jamdudum Procerum monumenta piorum*
O *cciderant; veteres faſti, & virtutis avitæ*
S *temmata marcebant putri rubigine victa:*
E *meritos ſed enim cineres, atque oſſa jacentûm*
P *ontificum, æterna caligine condita noctis,*
H *iſtoricus periiſſe vetat, dum morte ſecundâ*
V *indicat, & vitam rurſus dat inire priorem;*
S *iquid ineſſe libris vitæ, poſt funera poſſit.*
A *t quia apud memores meriti ſtat gratia facti,*
N *on ſine laude labor; quos nempe in poſtera mandat*
T *empora, in Authorem nomen cum laude retorquent.*
E *xcipe lector opus, quod jam tibi noſtra, ſibique*
L *ege pari debet ſcriptorum turba: legenti*
M *ulta tibi occurrent Annalibus eruta priſcis,*
I *n quibus arte novâ ſacra ſunt admixta prophanis:*
V *nde piè inſtituas animum, vitæque tenorem*
S *anctorum ad normam diſcas componere Patrum.*

HONORATUS DE CAMELIN CLE. BEN.

AD EUNDEM.

ODE.

ANTIQVA noſtri detegis Oppidi,
Et merſa nigris noctibus eruis,
Ut ſplendida luci Vetuſta
Reſtituas calamo diſerto.

Nunc geſta pandis fortia Præſulum,
Profana quondam facta Ducum exprimis,
Et ſic Deo ſcis, Cæſarique
Reddere cuique ſuos honores.

Mox clara Cœli ſidera conſpicis,
Mox acta terris condita lumini
Exponis, & ſic hocce ſæclum
Inſtruis, atque ſeros nepotes.

At tanta noſtri dum Fori-Julij
Committis ævo; dum prius eruis
Res inclyti geſtas LEONTI
Concelebras Patriam & Patronum.

CAR. LEONTIUS ANTELMIUS
Tertian. Frat. Opt. PP.

DE

DE INITIIS ECCLESIÆ FOROJULIENSIS DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Forum-Julij plurium Urbium in Orbe aut germanum nomen, aut penè ſimile: ex cujus variâ acceptione, errores varij paſſim exorti annotantur.

FOROJULIENSIS Eccleſiæ Initia, juvante Numine, exploraturus, rationi & ordini conſentaneum eſſe duxi, inquiſitionis exordium ſumere ab ipſo Fori-julij nomine: quod cùm multiplex ſit, variiſque urbibus inditum, ſcire ante omnia, quænam illæ ſint, haud parum fortè juverit. Urbes itaque eodem nomine inſignitæ quatuor à me hactenus obſervatæ ſunt, in totidem variis, potioribuſque Europæ partibus, Hiſpaniâ, Germaniâ, Galliis, & Italiâ ſitæ. Et quidem in Hiſpaniâ hujuſce nominis oppidum obſervat Plinius *lib.* III. *cap* I. *Europ.* his verbis: *Conventus verò Cordubenſis circa flumen ipſum Oſſigi, quod cognominatur Laconicum, Illiturgi quod*

Forum-Julium, Ipaſturgi, quod Triumphale, &c. Alterum in Germaniâ ſubindicant Patres Colonienſis Synodi contra raptores rerum Eccleſiaſticarum, *&c.* Habitæ temporibus Stephani Papæ V. an DCCCLXXXVII. quorum hæc Canonis ſecundi ſunt verba: *Decrevimus eos, qui tam pertinaci ſtimulo irretiti ſunt, ut ea mala S. Matri Eccleſiæ inferrent, aut ſtatuto tempore pia conſideratione, eorum ſaluti conſulentes videlicet in feſtivitate S. Joannis Baptiſtæ octavo Kal. Julij in Foro Julij, quandò iterum Deo annuente Synodus celebranda erit pœnitentiæ & emendationi ſe ſubmittant*, &c. Germani autem Præſules Forojulienſe oppidum in quo tunc Concilium indicebant, haud quaquam intelligere poterant aliud, ab eo, quod in hac regione eſſe oportebat. Tertium & quartum in Galliis, & Italiâ, eaque notiſſima, & apud Scriptores priſcos & recentes celebrata recenſentur; ſuntque ex quatuor vel reſidua vel præcipua: aliis aut deletis, aut prorſus obſcuris remanentibus. Quæ ideo monere atque diſtinguere in ipſo limine viſum eſt, quòd idem prorſus patronimicum, multis vel hærendi, vel errandi argumentum præbuerit, & cotidiè præbeat: utque alij Nicæam Thraciæ, pro Nicæa Bithiniæ; alij Cæſaream Palæſtinæ, pro Cæſareâ Cappadociæ; & apud nos Regium Æmiliæ pro Reïo Narbonenſis noſtræ Provinciæ: Ita paſſim plures Forum-Julij Carnorum, quod eſt Italiæ, pro Foro-Julij Phocenſium, & Octavanorum Colonia uſurpaverunt, & quæ uni ſingularia erant, alteri tribuerunt.

Ad nos quod ſpectat, errorem fortè & adauxit, & excuſavit, quòd urbes commune nomen ex eodem Fundatore conſecutæ, communem in multis fortunam ſortitæ fuerint. Namque & ambæ illuſtres, & ambæ circa eadem tempora vaſtatæ produntur. Utraque Epiſcopali Sede decorata dicta fuit, & utraque in ſuper quoddam Metropolitici dominij temporarium veſtigium viſa eſt retinuiſſe. Quæ cum ſecernere omnibus in

promptu non ſit, non abs re me facturum arbitror, ſi hæc ſerio eventilare in primis ſatagam.

Nec enim hærere diù me debere exiſtimo, in aliorum dimovendo ſcrupulo, quorum in eo culpabilior error eſt, quòd non ex identitate, ſed ex quadam nominum ſimilitudine hallucinati fuerint: eorum videlicet, qui Forum-Livij Sedem in Italiâ Epiſcopalem Ravennatenſi ſubditam, in noſtram, vel Forum Julij Carnorum promiſcuè perverterunt, ex iiſque Antiſtites emendicarunt; tandèmque Cornelium Gallum Poëtam Clariſſimum, patriâ conſtantiſſimè Forojulienſem, ſeu Tranſpadanum, ſeu Phocenſem, è Foro-Livij oriundum aſſeruere: nam hæc indicaſſe confutaſſe eſt.

Porrò non defuere alij qui ex hac ſimilitudinis affinitate, tam egregiè deluſi, Caſtrum Julium, ſeu aliàs, Julium Carnicum, Carnorum oppidum prope fontes Buti amnis, ad radices Alpium, à Foro-Julij Forojulienſis Provinciæ Metropoli non diſtinxerunt. Quo in errore verſari mihi videtur Philip. Ferrarius in *Lexic. Geograph.* dùm ait Forum-Julij, ſeu *Ciudad di Friuli*, Caſtrum Julienſe Paulo Diacono etiam dici, cujus tamen verba ſequenti capite adducenda contrarium omninò arguunt. Quod confirmatur à Cl. Ptolomeo, *lib.* II. *cap.* XIV. in Norici tabulâ, Julium inter præcipua oppida recenſente, ſeu ut expreſsè ſcribit: μεταξὺ τῆς Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ, id eſt *inter Italiam & Noricum*. Nec diſcrepat Plinius *lib.* III. *cap.* XIX. neque Philip. Cluverius *lib.* I. *antiq. Ital. cap.* XX. aliique recentiores Geographi, qui omnes Forum-Julij, à Julio Carnico, vulgò *Zuglio*, apertè ſecernunt. Scio quidem Lazium exiſtimare Julium eſſe Pontafellam, id eſt, Pons ad Fellam amnem, oppidum medium in Foro-Julij, & medium in Carinthia ſitum, quod mei non eſt inſtituti diſquirere; cum ex eâ etiam ſententiâ pateat Forum-Julij à Pontafella omnino diverſum eſſe, adeòque & aliud à Julio Carnico, ſeu Caſtro

Julio. Si autem oppidum iſtud cum Foro-Julij Italico confundi non debet, multò minùs pro noſtro uſurpari uſpiam poterit. Sunt & alia oppida à Foro nuncupata, quorum nomen ad Fori-Julij ſimilitudinem utcunque accedit, ut Forum-Fulvij, Forum-Licinij, *&c.* à quibus recenſendis abſtineo: quòd in iis errari non adverterim. Reſiduum igitur nunc ſolum eſt, ut Forum-Julij Italicum, à noſtro, genuinis characteribus internoſcendum exponam.

CAPUT II.

De Forojulienſi Civitate Italiæ: An fuerit Epiſcopalis, quomodo, & quandiù.

FORUM-JULIJ in Italiâ Carnorum eſt Oppidum Venetæ ditionis, in ea Regione, quæ vocatur ejuſdem nominis Forum-Julij, vulgò Italis, *Il Frioli, ô Provincia di Frioli.* Cujus & tractus incolas vocat Plinius *Forojulienſes Tranſpadanos.* Illis aliquandò Dux præfuit Forojulienſis denominatus ab Foro-Julij, Urbe primariâ, quæ in hæc uſquè tempora Provinciæ denominationem tribuit; hæcque circa an. Domini DC. à Gaïano Avarum Rege, ob proditionem Romildæ ſponſæ Ducis, capta, miſerabiliter vaſtata eſt, ut pluribus refert Paulus Diaconus *Hiſtor. lib.* IV. *cap.* XXXVIII.

CELEBRATUR præcipuè hæc Civitas ob Concilium in eâ habitum ſub Paulino Aquileïenſi Patriarchâ an. DCCXCI. in quo de Proceſſione Spiritus Sancti, de S. S. Trinitatè, Dominicâ Incarnatione, nec non de Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratione editi Canones fuere. Cæterum hæc, decurrentibus ſæculis, nec priſtinum ſplendorem, nec nomen retinuit. Utinum enim vicinum Oppidum Metropolitico illius privilegio auc-

tum eſt. Et quaſi hoc jure ſpoliata antiqua Civitas inclito Fori-Julij nomine decorari deinceps non mereretur, dicta eſt *Civitas Auſtriæ*; Vocitaturque paſſim ab Italis, *Cividad di Frioli*, ab incolis, *Patria di Auſtria*, vel, *la Patria*. Atque hæc de civili illius conditione.

Nunc præſtat ſtatum ejus Eccleſiaſticum indagare. Ultimi certè momenti diſquiſitio iſta eſt, & è cujus definitione, vel fiet maxima lux & acceſſio ad noſtrorum Antiſtitum Chronologiam, aut antiqua ſupererit obſcuritas & confuſio. Si enim Præſules Fori-Julij in Italia ſediſſe remaneat, remanebit itidèm hæſitatio de his, qui unicuique ſedium venient adſcribendi: at ſi nec in eâ Epiſcopos jus dixiſſe erutum ſit, quoties vel in antiquis inſtrumentis, vel in Conciliorum geſtis, & Pontificum epiſtolis, de Fori-Julij Præſulibus mentio aderit, continuò ad noſtrorum Provincialium ſeriem conferre dabitur. Res ſanè intricatis difficultatibus involuta fuit hactenùs, Forojulienſium Scriptorum malâ fide, quæ me in dubium, mox in errorem etiam traxerat, à quo reſilire multò minùs cogitabam, quòd Ughellum diligentem Eccleſiaſticarum Italiæ antiquitatum exploratorem, nec non Baronium in hanc ſententiam pedibus iviſſe conſpexiſſem. Sed hæc fucato tantum fundamento ſubſiſtit opinio.

Certum eſt ſiquidem nullum in Forojulienſi Civitate Epiſcopalis ſolij extitiſſe veſtigium, ante ſeptimi ſæculi finem, cui rei occaſionem præbuit excidium Julij Carnici, ſeu Julienſis Caſtri, de quo ſuprà. Epiſcopus enim qui eò temporis ſedebat, Fidentius nomine, habitatione deſtitutus, impetravit tandem vir profugus à Fori-Julij Ducibus, ut ſibi liceret in Caſtro illius nominis Sedem ſuam collocare: ubi & quietè degit, & fine pacatiſſimo ex hâc vitâ migravit. Succeſſorem hic habuit Præſulem, Amatorem nuncupatum, qui ibidem Epiſcopatus ſui manſionem prorogare ſtatuens, Aquileïenſis Patriarchæ, in

cujus territorio ſita erat hæc nova Sedes, indignationem in ſe commovit. Ille enim potentiâ & nobilitate ſpectabilis ratus ſuâ injuriâ tralatitium hunc Præſulem, in urbanâ Diœceſi novum ſibi tribunal extuliſſe, vi in ipſum egit, propulitque à Forojulienſi Caſtro; & ejus domo occupatâ, ex Oppido Cormones (ubi ob hoſtiles incurſiones reſidentiam Patriarchæ delegerant) illuc Sedem ſuam tranſtulit; unde, nec, niſi poſt multa ſæcula, ſuccedentes Præſules pedem retulere.

Sed neque hâc de re præſtat auctorem alium judicemque proferre, quàm civem Forojulienſem, eumque Hiſtoricum probatiſſimum, Paulum videlicet Diaconum, hæc omnia diſertè narrantem *lib.* VI. *Hiſtoriar. cap. LI. Gravis ſanè per id tempus* (ejus ſunt verba.) *inter Pemmonem Ducem Foro-Julij, & Callixtum Patriarcham diſcordiæ rixa ſurrexit. Cauſa autem hujus diſcordiæ iſta fuit. Adveniens anteriore tempore Fidentius Epiſcopus de Caſtro Julienſi, cum voluntate ſuperiorum Ducum, intra Forojuliani Caſtri muros* (Julium ergo à Foro-Julij diverſum omninò eſt) *habitavit, ibique ſui Epiſcopatus Sedem ſtatuit. Quo vitâ decedente, Amator, ejus loco ordinatus eſt. Uſque ad eundem diem ſuperiores Patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorum incurſionem habitare minimè poterant, Sedem non in Foro-Julij, ſed in Cormones habebant, quod Callixto qui erat nobilitate conſpicuus ſatis diſplicuit, ut in ejus Diœceſi cum Duce, & Longobardis habitaret Epiſcopus, & ipſe tantùm vulgo ſociatus, vitam duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorem Epiſcopum egit, eumque de Foro-Julij expulit; atque in illius domo ſibi habitationem ſtatuit*, &c. Huc uſquè Paulus Diaconus, cujus auctoritatem mirabile eſt vidiſſe & adduxiſſe Baronium *in Annal. ad an.* DCCXXIX. ex eâque in contrarium omninò ſenſum intellectâ, aſſeveraſſe Forum-Julij peculiarem ſuum habuiſſe Epiſcopum; quem etiam errorem non advertit abbreviator illius Spondanus in eundem annum, in quem eventum illum ambo referunt.

Ex his enim ſatis ſuperque evincitur Sedem Epiſcopalem

precariò tantum in Forojulienſi Caſtro ſubſtitiſſe; & primò duos ibi ſucceſſivè viſos fuiſſe Epiſcopos, Fidentium nempe, & Amatorem, quos potius è Sede ſuâ velut extorres, quàm utì germanos ſuſcipere poterat hæc Civitas. At ex quo in eam Patriarcha Aquileïenſis pedem intulit, quòd eſſet ea (ut diximus) in ejus urbana ditione, utì proprius & legitimus Antiſtes haberi voluit; ſucceſsûque temporis indiſcriminatim ſeu Aquileïenſem, ſeu Forojulienſem Patriarcham ſe paſſus eſt nuncupari. Hinc Paulinus qui circa finem octavi ſæculi Synodum (ut præ notatum eſt) convocavit, Forojulienſe Municipium, Metropolim Aquileïenſem dicit. *Canonicis* (Concilij Præfatio eſt) *evocatum ſyllabis*, *fraternum Epiſcoporum contubernium*, *Forojulienſe Municipium*, *Metropolim Aquileïenſem veneranter convenit*: Et in Concilio Altini habito an. DCCCII. ſub eodem Paulino, vocatur ipſemet in Codice Pithœano, *Paulinus Forojulienſis*. Imò in tabulis teſtamentariis Caroli Magni, apud Eginardum in ejus vitâ, nulla inter Metropoliticas Eccleſias Aquileïæ, ſed Forijulij habetur expreſſio. Nomina verò, inquit, Civitatum, ad quas eadem eleemoſina, vel largitio data eſt, ſunt, *Roma*, *Ravenna*, *Mediolanum*, *Forum-Julij*, *Gradus*, &c. Sigibertus autem, explicationis gratiâ ſubdit in Chronico *Forum-Julij*, *ſeu Aquileia*: Ex quibus habemus, jàm uſquè ad imperij Caroli Magni exitum, non alios Fori-Julij reſediſſe Antiſtites, quàm ipſos Aquileïenſes Patriarchas.

Sed & inſuper diutiùs ibidem dominatos eſſe alia docent monumenta. Lego ſiquidèm inter geſta Leonis Papæ IX. qui ſedere cæpit an. MXLIX. recrudeſcendibus controverſiis Gradenſis Patriarchæ, cum Aquileïenſi, Pontificem literas dediſſe ad Hiſtriæ Epiſcopos quibus jura Gradenſis ſervat illæſa; Forojulienſis autem (ſic enim nominat) in fines Longobardorum extendi tantum debere pronuntiat, *juxta privilegium*, ait, *Gregorij II. & retractationem III.* (Gregorij intellige) Igitur ſæ-

culo undecimo infulis Patriarchalibus gloriata eſtForojulienſis Civitas. Ab inde obſcura mihi viſa ſunt horum Patriarcharum hâc in urbe monimenta; ſed neque ex adverſo apparuit, eos aliò Sedem locaſſe, niſi circa an. MCCCC. quo innoteſcit Forojulienſe oppidum aliud nomen ſortitum eſſe, dictumque, ut nunc dicitur, *Patria di Auſtria* aut *Civitas Auſtriæ*, & Patriarcham fortè ad Utinenſem Civitatem ſe primùm contuliſſe, Cathedramque ibidèm poſuiſſe. Attamen tunc Forum-Julij,ſeu Civitas Auſtriæ Epiſcopali peplo decorata non fuit,ſed cenſita eſt hactenus ſub dominio Aquileïenſis Patriarchæ; quod luculenter teſtantur epiſtolæ Gregorij XII. qui Synodum indicens in ditione Aquileïenſis, an. MCCCCVIII. quò ſuam autoritatem adverſus definitiones Piſani Concilij tueretur; ſic præfatur in ſecundâ epiſtola: *Cum*, &c. *omnibus locis Provinciæ maturè penſatis, tandem ut magis idonei, pro qualitate rei & temporis, Civitatem Auſtriæ & Utinum Aquileïenſis Diœceſis, pro hujuſmodi celebrando Concilio eligimus.* Auſtria itaquè, ſeu Forum-Julij, & Utinum locantur ibi ſub Aquileïenſi Diœceſi, cujus Patriarchalis Sedes, cum à priori illâ Civitate remota fuiſſet, Comitia Synodi habita ſunt in Collegiatâ Eccleſiâ S. Mariæ ejuſdem Civitatis Auſtriæ: ut teſtantur acta Concilij.

Hinc nulla ſubire mentem cogitatio poteſt, Fori-Julij uſpiàm aliud reſediſſe Cathedrale Collegium, ab eo, quod Aquileïenſis Patriarchæ lateri, ut ajunt, adeſſe decebat; nam an. MDXCVI. coacta eſt Aquileïenſis Synodus ſub Fr. Barbaro, ubi per ſe, vel legitimos procuratores, Metropoleos Suffraganei omnes præſtò fuere, nullâ Forojulienſis Sedis mentione habitâ. Si enim conſtituta illic fuiſſet Epiſcopalis Cathedra, haud dubiè Aquileïenſi paruiſſet, cujus in territorio adſcribebatur. Porrò celebrata fuere Comitia Vtini: nam lego Tergeſtinum, Tridentinumque Epiſcopos, eâ in Vrbe, coram Patriarchâ abſentiæ excuſationes allegaſſe. Ex quibus corrigere etiam

erit

erit ſententiam quorundam exiſtimantium Venetam Civitatem Aquileïenſis Patriarchatus ſpoliis auctam fuiſſe, quod tradit Ughellus, cùm ſecus ad Utinenſem honos tranſierit: Veneta autem Metropolis Gradenſis Patriarchæ infulis cohoneſtata remaneat.

Igitur exploratum cùm ſit, nuſquàm Fori-Julij in Italiâ ſediſſe Antiſtites, alios ab Patriarchis Aquileïenſibus, (qui utique ſuperioris ordinis Præſules habiti ſunt, adeòque & cum interjectâ quadam dignitatis notâ memorantur, ut nulla inter illos, ordinarioſque Præſules noſtros ſuboriri dubitatio poſſit) pede nunc inoffenſo noſtrorum contexetur chronologia, & Forum Julij, quantumvis in profanis & civilibus duarum in Orbe urbium nomen, in Sacris tamen, quaſi unius cenſeri poterit. Atque his omninò diſcuſſis, quæ aut difficultatem movere, aut confuſionem parere poterant, ad Forojulienſia Initia noſtra ſtylum convertere, & primùm à profanis auſpicari, tùm ad Eccleſiaſtica procedere commonet inſtituti ratio.

CAPUT III.

De Forojulienſi Galliæ Narbonenſis Civitate, ejuſque ædificijs, ſplendore, famâ, momento: necnon Civium in Veſpaſianum Auguſtum merito.

Forum-Julij Provinciæ, nobilis olim Phocenſium, ſeu Maſſilienſium Colonia fuit, in Suelterorum, ut exiſtimo, territorio ſita, innumeris monimentis nota, variiſque & exquiſitis ephitetis ad ejus nobilitatem exprimendam decorata. Memoratur quippe in veruſtis inſcriptionibus: COL. JUL. OCT.

hoc eſt, *Colonia Julia Octava*, vel *Octavianorum*, ut habet nummus Auguſti apud Hub. Goltzium: Alibi in nummo Domitiani apud eundem COL. FOR. JUL. id eſt, *Colonia Forum-Julij.* Inſcriptio Nemauſenſis infra exhibenda præfert: *Civitas Forojulienſium.* Ab antiquis Scriptoribus his aliiſque nominibus deſignata reperitur. Straboni *lib.* IV. *Geograph.*dicitur: ὁ ναύσταθμος τοῦ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ ὁ καλοῦσι Φόρος Ιούλιος, *Navale Cæſaris Auguſti quod appellatur Forum Julium.* Plinio *lib.* III. *cap.* IV. *Octavanorum Colonia, quæ Pacenſis & Claſſica.* Tacito, *in vita Jul. Agricolæ: vetus & illuſtris Forojulienſium Colonia.* Ptolomæus autem *lib.* II. *cap.* X. Pomponius Mella item *lib.* II. *cap.* V. Itineraria & notitiæ Provinciarum de eâdem Urbe cum commendatione loquuntur, ſimilibuſque denominationibus inſigniunt; de quibus etiam aliquid nobis delibandum venit.

Et quidem ejus, quæ inter alias eminet, à Julio, nuncupationis ratio, facilis & aperta eſt: nomen quippe Fori-Julij ſatis indigitat, Coloniam veterem à Julio Cæſare illuſtratam, præcipuiſque illis ædificiis, quibus potentiſſimas Galliæ Civitates exornaſſe notat Suetonius *cap.* XXVIII. nobilitatam, ab eo deinceps nomen retinuiſſe. Nec immeritò: nam quod de Provinciæ ipſius Metropoli Narbone, canit Apollinaris Sidonius *Carm.* XXIII. inclitam maximè exhibuit Imperator Coloniam noſtram.

Muris, Civibus, Ambitu, Tabernis,
Portis, Porticibus, Foro, Theatro,
Delubris, Capitoliis, Monetis,
Thermis, Arcubus, Horreis, Macellis,
Pratis, Fontibus, Inſulis, Salinis,
Stagnis, Flumine, Merce, Ponte, Ponto.

Quæ hodie monimenta etiam ex parte, vel ſuperſunt, vel

fatiſcunt *laudandis pretioſiora ruinis*. Ex his autem, nunc ſolùm exhibemus in anteceſſum, delineationem Portæ majoris, cui proſ-



pectus eſt in Orientem: Arcuſque ſeu Aquæductus eidem Portæ Contigui; ex iis videlicet per quos Siagneus fluvius *Siaigne* per XXX. circiter milliariorum ſpatia in Urbem ducebatur. Opus immenſum & ſtupendum, quodque adeo ni factum eſſet, fieri non poſſe crederetur. Idem prorſus quod in primis videre vo-

luiſſe Nicol. Fab. Peireskium Antiquitatum Romanarum exploratorem laudatiſſimum, ſcientiſſimumque, dùm eas, quæ in Patria Provincia extant, perluſtraret, obſervat *lib. ſecun. vitæ ejuſdem* P. Gaſſendus, qui vocat etiam id *opus Romano nomine dignum*.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Caïo Caligulæ vulgò adſcriptum, fortè quia Romæ Aquæductum inchoaſſe traditur à Suetonio *cap.* XXI. Sanè Principi, inſolita illa opera moliri, ſolenne fuiſſe teſtatur alibi citatus Auctor, operamque ipſam videtur exprimere, dum Caligulæ genium, in his ſimilibuſque exſtructionibus, depingit his verbis: *cap.* XXXVII. *Omni ratione poſthabitâ, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur.* Moxque: *Exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium juga.* Qui conatus ipſimet ſunt ad Aquagium perficiendum adhibiti. Sed utcunque ſe habeat res de auctore operis, de fine ingenioſè, ſuo more, cenſet cariſſimum mihi Caput Ant. Porcus Presbyter ex oppido Montenſi, *Montz*, (quo in ſolo Sacerdotij mei ſeu Canonicalis Præbendæ, ut vocant, incipit operoſum opus: quippe fluentis Siagnæ amnis ibidem orientis, aperta eſt via, ultra LX. paſſus longitudinis, latitudinis IV. intra ipſa vivæ rupis viſcera) ille inquam exiſtimat appoſitè ad Decumanam illam Portam, expleto tanto circuitu deductos Arcus; quia cùm ea non tàm eſſet in Civitatem ipſam, quàm in Narbonenſem Provinciam & Gallias aditus (Antipoli inter Italicas adſcriptâ) Imperij majeſtatis intereſſe videbatur, inſolito ſplendidoque illo opere exterorum admirationem commovere: ut uno fermè oculorum conjectu (longâ enim ſerie & ſublimi ſtructurâ ſunt hîc conſpicui Arcus) viderent in limine Provinciæ, quæ ob ſui excellentiam, quaſi de ipſâ Italiâ cenſebatur, quod erat in eâ, è Romanis monimentis præcipuum, & inter Italica præcipuis coæquandum. Quæ Viri optimi conjectura haudquaquam ſpernenda eſt.

Cæterum ſplendida illa nomina Navalis Cæſarei, & Coloniæ Claſſicæ Foro-Julij adſcripta, ſola per ſe ultrò perhibent, munitiſſimum ſub Romanis fuiſſe totius Gallicæ oræ propugnaculum, quò ſe ſuorumque fortunas tutarentur. Etenim etſi

memorat duntaxat Suetonius in *Auguſto cap.* XLIX. cum Claſſem Miſeni, alteram Ravennæ ad tuitionem ſuperi & inferi maris ſtatuiſſe, cùm legiones & auxilia provinciatim diſtribuit: obſervat accuratior Tacitus *lib.* IV. *Annal.* quòd præter memoratas Claſſes, *proximum Galliæ litus præſidebant rôſtratæ naves, quas actiacâ victoriâ captas, Auguſtus in Oppidum Forojulienſe miſerat, valido cum remige*, ut ex his jam liqueat meritò & Claſſicæ & Navalis nomen illi inditum fuiſſe, de quibus mox plura.

Tanti autem majoriſque in dies momenti & nominis extitiſſe, argumento eſt, quod cùm ſolſtitiales Imperatores Otho & Uitellius de ſummâ rerum contenderent, Uitellianique, quos Narbonenſes ſequebantur, edidiciſſent Othonis Claſſem in Provinciæ oram aciem eſſe verſuram; illicò de mittendo in Forojulienſem Coloniam potiori cohortium præſidio cogitatum fuiſſe, quò alioquin oræ maris proſpicere nuſquam valerent. Ità enim omninò rem proſequitur Tacitus, *lib.* III. *Hiſt.* *Cùm Othonis Claſſem imminere*, inquit, *Fabio Valenti trepidi nuntij attuliſſent, adeſſentque legati Coloniarum auxilium orantes: duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, univerſam Treverorum alam, cum Julio Claſſico Præfecto miſit, è quibus pars in Coloniâ Forojulienſi retenta; ne, omnibus copiis in terreſtre iter verſis, vacuo mari Claſſis accelararet.*

Hîc videtur quo in pretio habitum fuerit Forum-Julij: ſummo ſcilicet, quippè cujus munitio liberum ab infeſtatione maris tractum redderet: Sed & illud Provinciæ fortunam poſt ſe aliquandò traxiſſe, & Forojulienſes Veſpaſiano viam ad Imperium ſecuram fregiſſe, fortè mirum videbitur. At illud etiam egregiè præſtitum eſt, cùm videlicet Valerius Paulinus Civis Forojulienſis Veſpaſiano cariſſimus, in ejus verba Provinciam, ejurato Vitellianorum Sacramento, adegit, occupatâque Patriâ Coloniâ, quâ exinde univerſo mari dominabatur, & ſuâ, & Contribulum virtute Valentem pro Vitellio impe-

rantem oppreſſit; ſic ut re confectâ, univerſus Orbis Veſpaſiano acclamare non hæſerit. Hæc eſt ipſamet aſſertio Taciti, ne me in Patriæ gratiam, rem amplificare ſuſpicio ſit; præſtat ea propter ejus hîc verba reddere, qui ubi Italiam omnem inter Veſpaſianum atque Vitellium Apennini jugis diviſam fuiſſe tradidit, hæc ſubdit: *Circumjectas Civitates Procurator Valerius Paulinus ſtrenuus militiæ, & Veſpaſiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat; concitiſque omnibus qui exauctorati à Vitellio bellum ſponte ſumebant, Forojulienſem Coloniam, clauſtraque maris, præſidio tuebatur; eò gravior auctor quòd Paulino patria Forum-Julij, & honos apud Prætorianos, quorum quondam Tribunus fuerat, ipſique pagani* (Forojulienſes) *favore municipali, & futuræ potentiæ ſpe juvare partes annitebantur.* Et paulò poſt: *Capto Valente* (*à Paulino in Stæchadibus, tribus miſſis liburnicis, oppreſſo*) *cuncta ad victoris opes converſa; primùm per Hiſpaniam, nec Galliæ cunctabantur*, &c. hactenus Tacitus, *Hiſtor. lib.* III.

HÆC ſunt quæ Veſpaſiano præſtitere Forojulienſes, quorum operâ, ut jam patet, maximo Imperatori complanatus fuit ad ſupremum rerum Dominium aditus; quò, haùd ſcio an alludere, inter alia, voluerit Ant. Auguſtinus verſatiſſimus antiquitatum Romanarum indagator *Dialogor. lib.* VI. dum advertit, moris fuiſſe Romanis Principibus pluris Colonias facere, quòd in iſtis multi Veterani milites, & Prætoriani, quorum quandoque operâ Imperatores Romani creabantur. Utcunquè ſit, credere ſatis ſuadet tanti, tàmque inſignis à noſtris præſtiti beneficij memoria, Flavium haud conceptâ mercedis ſpe ſtrenuos Cives, fidamque Coloniam fraudaſſe; ſed iſtam potiſſimùm, ni Municipatus honore (quod nobilium Coloniarum potior eſſet conditio, ut obſervat egregiè A. Gellius *lib.* XVI. *cap.* XIII.) majoribus gloriæ, & ſplendoris acceſſionibus condecoraſſe, quæ multis prioribus adjunctæ, dignitatem priſtinam ſic extulerunt, ut qui non multò poſt ſcripſit to-

ties laudatus Tacitus, in vitâ ſoceri ſui *Julij Agricolæ* Forojulienſis Civis, Conſularibus, Triumphalibus, & Pontificiis faſtigiis apud Romanos incliti, non eam immeritò hac magnificâ, jamque memoratâ deſignarit epigraphe: VETUS ET ILLUSTRIS FOROJULIENSIUM COLONIA.

CAPUT IV.

Forum-Julij Colonia, Quæ?

POSTULAT & jure quidem poſtulat tantæ Coloniæ dignitas, ut penſiculatiùs inquiramus, quonam fuerit illa diſtincta cognomine: advertimus enim aliquos in errorem impingere, opinionemque apud eos invalere, dictam eam fuiſſe, *Octavianorum* Coloniam, è quibus quoſdam id nominis populos, *Octavianos* nuncupatos conflant; quorum nec ulla uſpiam apud Antiquos extat memoria: neque Forojulienſem illorum extitiſſe Coloniam, penes probatos Scriptores auctoritas.

PLINIUS quidem in aliquibus exemplaribus eo nomine, nempè *Octavianorum Colonia* deſignavit, ſed in aliis, & melioribus, (inquit Merula *par.* II. *lib.* III. Coſmograp. *cap.* XXXIX.) legitur *Forum-Julij Octavanorum Col.* quod & dubium dirimere, & ſenſum reſtituere videtur. At quantùm mihi cernere datur, ſive ea *Octavanorum*, ſeu *Octavianorum* Colonia inſcripta ſit; non alia intelligi debet, ab eâ, in quâ conſtituta erat Legionis Octavæ ſedes, in cujus ambitu milites hiemabant; aliique cùm Prætoriani, tùm Veterani & emeriti milites, honeſtâ miſſione, & capitationis immunitate impetratâ, pedem fixerant & lares conſtituerant. Numerantur aliquot celebrioris quidem nominis, in eâdem Narbonenſi Provinciâ Civitates, Legionum earundem reſidentiâ notæ, atque nobilitatæ: Arauſio namque

Secundanorum;

Secundanorum: Arelate *Sextanorum*: Biliterræ *Septumanorum*; ipſeque Narbo *Decimanorum* ſeu *Decumanorum* Coloniæ dictæ ſunt; ut inde exemplo ſatis firmatum maneat, ſic Forum-Julij *Octavanorum* cenſitam fuiſſe Coloniam.

Et huic quidem gravi ſaltem conjecturæ, ut cujuſcumque hæſitationis nodus amputetur, probatum notiſſimumque antiquitatis monimentum, à Joanne Poldo Nemauſenſi, *in patriis ſuis antiquitatibus*, aliiſque poſt ipſum benè multis exhibitum placet ſubjicere, prout è ſchedis Peirеskianis apud D. Sibon Quæſtorem Regium Aquenſem, correctius eruimus.

V . . . I .
ET PHILOMUS.
Q. SOLONIO. Q. F. VOL.
SEVERINO
EX V DECURIIS EQUO
PUBLICO LUPERCO
IIII VIR. AB ÆRAR.
PONTIFICI
FLAMINI PROVINCIÆ
NARBONENSIS.
TRIBVNO MIL. LEG. VIII. AUG.
CIVITAS FOROJULIENSIUM
PATRONO.

Nobile alterum ejuſdem argumenti fragmentum obſervaverat idem V. Cl. N. Peireskius, in Urbe Aquiſextienſi, in prægrandi ſaxo ad ædificium Palatinæ turris primùm inſumpto, & tempeſtate noſtrâ hinc educto: quo caſu neſcio. Inſcriptio autem Legionis Octavæ mentionem iterùm præfert, nec non

Septimæ, in ſolidâ Narbonenſi etiam collocatæ; Et à qua diverſam ſedem non habuiſſe Octavam, ſuaderet ſatis frequens illius memoria in eâdem Provincia occurrens, cum Patroni Coloniæ commendatione, etſi alia multa id non inducerent: ſic enim habet iſta.

...VERO. LATICLAVIo.
... ONIAE.
... MIL. LEG. VII. GEM. FEL.
...VIRO. PATRONO. COL.
...IL. LEG. VIII. AUG.
...NO. COLONIÆ.

HABET quidem aliquid expreſſius ſuperior inſcriptio: Quod enim Forojulienſis Civitas Tribunum militum Legionis Octavæ Auguſtæ, nominatim Patronum indigitaverit, argumentum ſanè eſt, eandem *Octavanorum*, vel *Octavianorum* Coloniam, ſedem VIII. illius Legionis extitiſſe: idque clarius videtur quàm ut aliâ explicatione indigeat, quàmque ut in aliis, id generis, prodendis probatæ uſquequaque fidei teſtimoniis abutar operam.

VERSABITUR ſiquidem in illis præcipuum prioris libri de Urbe argumentum, in quo adducta in medium ſolida illa, & ineluctabilia antiquitatis monimenta, veluti baſes ædificij firmiores compagem illius omnem ſolidabunt. Sed inter innumera, ſolicitor vehementer effoſſum, in Urbis priſco ambitu, nobile hujuſcemodi intemeratæ vetuſtatis fragmentum exhibere, quòd maximè, ab aliis prætermiſſum, abs me autem poſteriori loco obſervatum, fuerit etiam prolixæ diſquiſitionis exercitatio: unde utpote, intricatiſſima illorum temporum chronologia multorum animos vexans, multùm lucis haurire valeat; ſi (prout hîc habetur) Conſulatus tertius Aureliani cum

quarto anno ejus Tribunitiæ Poteſtatis rectè conjunctus ſit: quodque ad nos attinet, Civitas plus etiam commendationis accipiat, quæ maximo Imperatori tam nobilia, elataque partarum victoriarum tropæa ſuppoſuit. Columna eſt XV. pedes alta, altior etiam, ni ædificio aptanda, in ſummitate decurtata fuiſſet.

RESTITUTOR ORBIS
IMP. CAES.
L. D. AURELIANO
PIO. FEL. INVICTO
AUG. PONT.
MAX. GERM. MAX.
GOT. MAX. PART. MAX.
TRIB. P. IIII. COS. III.
P.P.P. COS.
V̄

Ita inſcriptio, è quâ miror Cordatum aliquem contendiſſe, ibi Proconſulis ordinarij, à quo poſitum lapidem opinabatur, nomen ſeu dignitatem exprimi, adeòque & in Civitate Proconſulis tribunal ſubſtitiſſe; cùm ſecus hîc ſit germanus honoris titulus ipſi Imperatori tributus, quem Cæſares aſſumpſiſſe ex pluribus inſcriptionibus perſpicuum eſt. Innuant quidem alia monimenta, quod arbitratur bonus ille Civis de Proconſulis ſede, non inficior, neque diſcutio modò. Cenſeo attamen ab hâc interpretatione, ſeu ſententiâ non abhorrere Fori nomen Coloniæ inditum, quod ſciunt omnes, tàm à jure dicundo, quàm à negotiationibus, & emporio ſortiri potuiſſe. Unde cum huic & illi provinciæ deputata eſſet opera Proconſulum (hoc enim nomine, Conſulares, & Prætorios illos cohoneſtari permiſerat Auguſtus *ex Dione lib. LIII.*) videbatur etiam Civitas ad utrumque, tùm propter ſui amplitudinem,

tùm propter ſitus opportunitatem accommodatiſſima. Certè Valerium Paulinum noſtrum, Galliæ Nabonenſis Procuratorem, Fori-Julij ſedem habuiſſe inſinuat *Tacitus Hiſtor. lib. III.* Quod quidem Procuratoris officium ab Claudij Principatu in tantam dignitatem excreverat, *ut parem vim rerum habendam à Procuratoribus judicatarum, ac ſi Cæſar ſtatuiſſet*, etiam S. C. cautum fuerit, teſte eodem *Tacito lib. XII. Annal.* Conjecturam firmat, quòd alterum, Alpium ſcilicet Maritimarum Procuratorem, in Urbe etiam ad oram maris poſitâ, Cemelione, ex probatis pluribus antiquitatis monimentis reſediſſe probet, ejus Civitatis Hiſtoriæ eruditiſſimus Scriptor Petrus Joffredus Nicienſis, ubi & ejus Provinciæ antiquam Metropolim conſtituit, quam immutatâ civili Provinciarum diſpoſitione, poſt Auguſti exceſſum, ad Ebredunenſem acceſſiſſe non inficiatur. Quæ etiam Foro-Julij convenire poſſent. Sed & illa diligentiori examine alibi librare cùm mens ſit, ſic interim in prolatâ inſcriptione, ſi quæ vel ad univerſalem, vel fortè etiam ad peculiarem Hiſtoriam noſtram ſpectare poſſunt, optamus eruditorum cenſuram incumbere; ut obſcuritate eliminatâ, cuncta non tàm ex noſtris conjecturis, quàm ex illorum definitionibus auctoritatem ſibi vindicent.

Et vindicabunt ſibi quamcitiùs, nihilque in eâ erit tam intricatum, & arduum, quod non egregiè explicet & aſſequatur, Vir eruditionis non vulgaris R. P. Ant. Pagyus Minorita Conventualis, cui hæc à me, ob antiquam neceſſitudinem noſtram, communicata primùm fuit inſcriptio; in quam audio præmittere velle judicium ſuum, quaſi proluſorium, ad Exercitationes Chronologicas, quas, in ſerie Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ abs ſe jam digeſtæ, intexuit. In quibus ſanè aliiſque, pro eo quo pollet ingenij acumine, & judicij maturitate, non poteſt nobiles palmas non referre.

CAPUT V.

Colonia Forojulienſis, cur Dicta Pacenſis & Claſſica! Nummus Neronis Illuſtratur: Fori-Julij & Ravennæ par conditio.

SED fortè erit aliquod operæ pretium nunc diſquirere, cur Colonia illa, Pacenſis nomen rurſus ſortita fuerit: Plinio enim Forum Julij Colonia *Pacenſis, & Claſſica* dicitur, & nummus Neronis apud Goltzium iterum præfert: *Col. Pacenſ. Claſſ.* hoc eſt *Colonia Pacenſis, Claſſica.* Nunquid, ut aſſeverant recentiores, opinioque apud noſtrates invaluit, hoc illi nomen ſub Phocenſibus impoſitum, Civitaſque Pacea tùm dicta fuit? Minimè gentium! Nam *Pacenſis, Paceaque* denominatio haud quaquàm græca videtur, veriùſque dixeris à pace appellationem illam derivaſſe: cùm videlicet Oct. Auguſtus ſuperato, navali pugnâ, Antonio, reſiduas roſtratas naves (erant autem, *trecentæ, ut ipſe in Commentariis tradidit Cæſar,* inquit Plutarchus *in vita M. Antonij*, qui jam ſuprà memoraverat, fuiſſe eidem Antonio in congreſſu: *naves bellicas non minùs quingentas, in quibus octo & decem ordinum frequentes erant, ſuperbè & ad triumphum exornatæ*) in Oppidum Forojulienſe miſit. Tunc autem pacem Reſpublica conſecuta eſt, & cum eâ terrarum Orbis conquievit. Quid enim, (ut habet Velleius *lib. II.*) *dies ille terrarum Orbi præſtiterit, ex quo, in quem ſtatum pervenerit fortuna publica, quis in hoc tranſcurſu tam arctati operis exprimere audeat?* Sed poſt aliqua: *Finita bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, ſopitus ubique armorum furor, priſca illa, & antiqua Reip. forma revocata: rediit cultus agris, ſecuritas hominibus,* &c.

Ex quibus vides, ab hac victoriâ pacem & ſecuritatem præcipuè celebratas, ut mirum non fuerit Urbem tot, tantiſque victoriæ paciſque tropæis ditatam, ab his cognominatam fuiſſe *Pacenſem*.

CONJECTURAM roborat, quòd in Hiſpanias Colonia deducta, ſimili nomine deſignata ſit, dictaque *Pax Auguſta*, Coloniquc *Pacenſes* vocitati, quoſve etiam jure Italico, uti & Emeritenſes donatos eſſe, *ex Pand. tit. de cenſibus* exploratum eſt. Hæc autem Urbs, corrupto nomine, nunc vocatur *Badaios*, eſtque Epiſcopalis, ſub Metropoli Compoſtellanâ, olim ſub Emeritenſi. Porrò ex jure Civili confirmata Pacenſis nomenclaturæ interpretatio, in memoriam reducit in *L. l. Cod. Th. de Pignoribus*. Paciarij mentionem etiam haberi, qui ibidem pro Decurione, aut Præfecto pacis accipitur, quod etiam evincit, nomina illa *Pacenſis* & *Paciarij*, & latina, & à pace conflata eſſe.

IGITUR Pacenſem Coloniam, Forum-Julij, à pace rurſus dici oportuit, quòd deveniſſet quaſi Romanorum Principum navale armamentarium, quò pacem omnium deſideratiſſimam, tot ſacris Vaticiniis prænunciatam, Actiacâ victoria partam, Jani templi clauſurâ conſecratam, in Orbe deinceps tuerentur. Et quidem ab Auguſto ad Veſpaſiani Imperium roſtratas naves, navaleſque copias in Urbe perſtitiſſe, ſatis teſtantur, quæ ex Tacito *ſuper cap.* retulimus: Sed & inſuper vetuſtæ inſcriptiones ſepulchrales quamplures decedentium, iſtic variorum rei Claſſicæ Præpoſitorum memoriæ appoſitæ, etiam poſt annos centum, eodem præſidio nobilitatam fuiſſe Coloniam oſtendunt. Extat ſiquidem in Urbe fragmentum quoddam, ſequentia hactenus exhibens.

D. M. . . . .

AN. . . . .

M. AUR. AN. . . . . .

PR. . . . CLASSI. . . .

AP. . . . .

At ex omni parte integram, aliam penè ſimilem inſcriptionem ex eodem ſolo erutam tranſmiſerat Nicolaus Antelmius an. MDCXXVIII. ad N. Fabr. Peireskium neceſſarium ſuum, quæ in utriuſque adverſariis ita omninò exſcripta viſitur.

ANTHO. CAESARIS.
TRIERARCHO. LIVIANO
C. JULIUS. JASO. F. C.

Quod autem M. Aurelij, & Antonini, ſeu Senioris & Pij, ſeu Caracallæ cognominumque Impp. temporibus, Trierarchi, aliique Navalis Cæſarei Præfecti Fori-Julij diem obierint, indicium eſt Claſſem ibidem collocatam fuiſſe, neque ineunte etiam tertio Eccleſiæ ſæculo, Urbem ab eo gloriæ, ſplendoriſque faſtigio excidiſſe, quo ſub Auguſto & Veſpaſiano florentiſſima, inter præcipuas, munitiſſimaſque Galliarum, Romanique Imperij meritò cenſebatur. Unde etiam hactenus *Pacenſis* Colonia verè dici potuit, quòd Imperij Gallici oras tueri, paciſque ſecuritatem præſtare non deſineret. De quâ *Pacenſis* denominatione ſatis.

De Claſſicæ autem nomine eidem Coloniæ indito, nil jam delibatis adjicere attineret, cum etiam in propatulo ſit, illud ſortitam eſſe, ob Claſſem Cæſaream ibidem collocatam, à quâ & Navale Cæſaris dicta. Nam & Ravennenſis Urbis, ubi ſimilem Claſſem aſſignatam eſſe meminimus, portio mari

propinquior Claſſis dicta fuit, teſte Jornande *cap.* XXIX. *de rebus Geticis*, in quâ, eodem auctore, portus celeberrimus, Forojulienſis tamen amplitudini inferior. *Trino ſiquidem* (proſequitur Jornandes) *Urbs ipſa vocabulo gloriatur, trigeminâque poſitione exultat: id eſt, prima Ravenna, ultima Claſſis, media Cæſarea inter Urbem & mare, planâ mollitie, arenâque munita vectationibus apta.* Et cùm portus ille novus, ſeu Claſſis, navales copias, & tabernas mercatorias complecti non poſſet, ſubſtructæ inter viam ædes, Ravennæ, Claſſem adjunxere; at temporum decurſu, ædificiis illis corruentibus, rurſus Claſſis à Ravennâ abjuncta, Claſſitanæ Civitatis, à Metropoli ſuâ omninò ſeparatæ nomen retinuit, ut inter plura colligitur ex *Regeſt. Epiſt. S. Gregor. Papæ lib.* VII. *Epiſt.* XVIII. *ad Marinianum Ravennenſem*, in causâ celebris Monaſterij Claſſenſis ibidem erecti.

Hæc de Claſſe Ravennæ collocatâ, à quâ *Claſſitana*, ſicut Forojulienſis Colonia, *Claſſica* nuncupari cæpit. Sed neque ſolùm vel à nomine, vel à navali exercitu, inter Urbes illas ſimilitudinis affinitas interceſſit. Parem enim ab Imperatore Auguſto in utroque portu adornando, ædificiorum initam fuiſſe rationem, aërem, ſitum, agrum, aliaque ſimilia in utraque Civitate amplificandâ ita ſpectata eſſe, ut vel Forum-Julij Ravennæ, vel ſecus Ravennam Fori-julij ſimulachrum exhibere ipſe contenderit, fuſiùs alibi proſequemur. Ubi & referre oportunius, quâ ratione tùm hîc, tùm illîc, in locis utique paluſtribus, maximam aëris ſalubritatem procurare Romani, ſucceſſu planè felici, laboraverint; qualem & nunc Veterum conſilium inſequendo, aut ſiccatis paludibus, aut effoſſis, & intra varios Argentei amnis ſurculos derivatis, quodam poſtliminij jure experiri, ab annis citra triginta, noſtri cæperunt; etiam uſque ad accolarum invidiam, qui quidèm, quàm olim ægrè, ob cœli inclementiam, Urbem

frequentabant,

frequentabant, nunc tam libenter, ejus priſtinâ revocatâ temperie, quâlibet datâ occaſione lares mutare, & in eâ ſedem figere neutiquam hærent. Quo & facto, ætate noſtrâ, quarta fermè inquilinorum parte major accrevit. At in præſenti ex Ravennatis Metropoleos, tàm in Sacris, quàm in profanis, dignitate atque momento, colligere tantùm juvat, quid quantùmve prærogativæ conſecuta fuerit Forojulienſis Colonia, pari, nè dicam potiori Romanorum præſidio munita, nobiliſſimiſque ædificiis ad ejus ſimilitudinem nobiltata.

Atque hæc interim de Fori-Julij antiquitate, & nobilitatè è multis excerpſiſſe, tanquam ad intentum ſcopum quadantenùs ſpectantia, è re eſſe judicavimus: quia cùm notiſſimum illud ſit, Majores noſtros, eam in inſtitutione Sedium iniiſſe rationem, quæ à Romanis in diviſione Provinciarum & prærogativis Urbium habita fuerat, conveniens in primis videbatur, Urbis commendationem, Eccleſiæ notitiæ præponere.

CAPUT VI.

De Antiquitate Eccleſiæ Forojulienſis.

INvestigandum nunc primò cenſeo, nùm ea Civitas, quæ neque vetuſtate, neque ſplendore, clarioribus cæteris quæ in Provinciâ ſunt, eſt inferior, quamque ideo appoſitiſſimè, *veterem & illuſtrem Coloniam* Antiqui nuncuparunt; nùm ea, inquam, his gloriæ inſignibus cùm in fidei illuſtratione, tùm in Pontificiæ Sedis decoratione, itidem inter primarias emineat.

Enim verò cùm de convicinis Eccleſiis primis ſæculis habeatur mentio, & quædam ſibi haud immeritò Apoſtolicos, aliæ his fermè coævos Pontifices vendicent; mirum videri de-

bet, quî Forum-Julij, famæ, celebritatiſque haud imparis Oppidum vix ſub medium quarti ſæculi, ſui indigitare poſſit Epiſcopatûs Initia: cùm aliunde nulla ſit omnino Provinciæ Sedes, quam tractus amplitudine, & Eccleſiarum nobilitate, & Parœciarum multitudine Forojulienſis facilè non ſuperet.

Nec ad inſtitutum noſtrum promovendum conducere poſſunt, vera, germanaque antiquitatis monimenta; in quæ incidere, mihi non licuit tam eſſe felici. Sed neque, quod dolendum eſt, ad illud, certi aliquid ſuppeditare poſſunt ſcrinia Eccleſiæ noſtræ, quippe quæ, ob expugnatam ſæpius, & ferro, igneque vaſtatam, abſumptamque Civitatem, vetuſtiorum inſtrumentorum jacturam totiès pertulit; ſic ut in paucis, quæ ſuperſunt poſtremi temporis, nil tam frequentèr, quàm antiquarum membranarum expilatio memoretur. Hujus rei ſolenne teſtimonium proditur, ex veteri illo chartulario, quod *Authenticum rubeum*, vocitamus, è quo ediſcimus Riculphum hujuſce Sedis digniſſimum Antiſtitem, ſub finem X. ſæculi, Manueſcam nobile Provinciæ Oppidum conceſſiſſe, ibique ad pedes Guillelmi Primi Comitis, provolutum, teſtatum fuiſſe, ſic Civitatem ſuam Saracenorum acerbitate vaſtatam eſſe, fugatoſque peregrè incolas, ut ſine Clero, ſine plebe Præſul, Eccleſiaque, Regiarum conceſſionum & privilegiorum inſtrumentis concrematis, omni ſpoliata dominio remanerent. *Civitas* (verba illius ſunt) *in quâ ipſa Eccleſia ſita eſt, acerbitate Saracenorum deſtructa, atque in ſolitudinem fuit redacta, habitatores ejus interfecti. Non ſunt chartarum paginæ, deſunt Regalia præcepta. Privilegia quoque, ſeu alia teſtimonia; aut vetuſtate conſumpta, aut igne perierunt: nihil aliud niſi tantùm ſolo Epiſcopatus nomine permanente.* Paſſa ſunt & alia damna innumera ſequentibus ſæculis tabularia noſtra; nam etiam vertente anno MCCCXXXVI. quo Statuta recèns condita fuere, habemus itidem ex illis, antiqua, ſicuti & alias pervetuſtas membranas igne abſumptas fuiſſe. Supereſt quidem

illis Statutis antiquior codex; *Piloſus* nuncupatus, ſed in quo vix quidquam reperire erit obſervatû dignum, præter donationes, & privilegia, à Chriſtianis Principibus Eccleſiæ conceſſa.

Igitur ut altius ejuſdem repetamus initium, chartulariis domeſticis tacentibus, externis vix aliquid indicantibus, per conjecturas, aliaque id generis ſubobſcura plerunquè veſtigia gradiendum, quæ nobis ad aliquid certi, firmique ſtabiliendum utcunquè viam faciant. Quod cùm amplioris diſquiſitionis & cenſuræ futurum nobis ſit exquiſitum argumentum, in quo & ſuceptæ in Provinciâ fidei tempora elucidabimus, uno in præſentiarum, aut altero argumentorem urgere, quò Sedis noſtræ Forojulienſis Initia adumbrentur, propoſito apprimè congruum viſum eſt.

Ac primum illud tanquam ſatis probatum expono, quòd maximè rationi, ordini, æquitati, & exemplis conſonum videatur, putà Parochias illas, quæ ampliori pollebant ditione Eccleſiarum, ſeu Diœceſeon, has univerſim antiquiores cenſitas eſſe iis convicinis, quæ longè minorem harum numerum computabant. Quæ ſanè cum quotidiana luculenter exhibeat experientia, quâ antiquas, & Apoſtolicas Sedes, aliis ampliore tractu gaudere advertimus; innuunt ſatis Canones hac de re primitùs editi, quorum aliqui infra recenſebuntur: Suadentque omninò præ cæteris agitatæ IV. V. & VI. ſæculo acres controverſiæ, quibus amplificandæ ditionis vehemens ſtudium anſam præbuiſſe, nemini Hiſtoriam verſanti incompertum eſſe poteſt. Referri ad id poſſent excitatæ inter Baſilium Magnum Cæſareæ, & Anthymum Thianeæ Epiſcopos, quæ in dies recrudeſcebant, diſceptationes, & Orientalium placita, quibus Diœceſana jura præſcribuntur; nè cujuſquam animum ſuſpicio pulſet, Romanorum Pontificum quaſdam antiquas conſtitutiones, ab eruditis errore meritò notatas, hîc nos velle in medium proferre, & ex illis auctoritatem arrogare. Utraque etenim ſu-

pervacanea cenſeri debent, cùm notiſſima in noſtris Provinciis ſimilium colluctationum occurrant exempla, multis aliis, ſeu fide, ſeu antiquitate præſtantia.

Sub quarti quippe ſæculi finem, eas multum commoverant magni nominis Præſules, qui ſuarum prærogativas, & antiquitatem Sedium, ſummo contentionis zelo, tutantes, Eccleſiasticæ pacis, & unitatis fœdera diremiſſent, ni provido remedio proſpectum fuiſſet. Etenim protinùs indictum fuit Taurinenſe Concilium, in quo tamen, quòd ea, quæ ratio præſentis temporis poſtulare videbatur, duntaxàt ordinata eſſent, rurſus, non multò poſt, in quæſtionem adducta ſunt. Quæ ſingula quamvis de Metropolitarum juribus fateamur intelligenda, non tamen quis ibit inficias, ſicuti & Metropolitas amplificandæ Provinciæ, ita & inferiores Pontifices ditionis dilatandæ, ſeu amplioris conſervandæ, fuiſſe, ſupra quàm dici poteſt, ſtudioſos. Obſervantur & crebra iiſdem temporibus præfatæ ſolicitudinis argumenta, quorum aliqua ſpeciali capite delibare, aliquod fortè erit operæ pretium.

CAPUT VII.

Ex Diœceſeos amplitudine Eccleſiæ antiquitas adumbratur.

QUI ſe primus è noſtris exhibet, de inuaſis Eccleſiis ſuis, conquerertem,. is eſt Arelatenſis Antiſtes; qui nequaquam tunc, ut aliàs, Provincialium Epiſcoporum ordinationes ſibi vindicat; ſed expreſsè apud Apoſtolicam Sedem unius aut alterius Parochiæ, è ditione ſuâ detractæ, ut alteri accreſceret, reſtitutionem proſequitur. Super his autem, ita qui Cathedram Petri regebat, eò temporis, Zozimus Pontifex ad

Galliarum Epiſcopos reſcribit : *Omnes ſanè admonemus, ut quique finibus, territoriiſque ſuis contenti ſint ; de quâ re, ne ad nos querela ulteriùs redeat, admonemus. Dedit enim exemplum Arelatenſis Eccleſia, quæ ſibi Cithariſtam, & Gargariam Parochias in territorio ſuo ſitas incorporari jure deſiderat*, &c. *Ne de cætero ullus Sacerdos in alterius Sacerdotis præſumat injuriam. Sanè quoniam Metropolitanæ Arelatenſium Urbi vetus privilegium minimè derogandum eſt, ad quam primùm ex hac Sede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte tota Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus eſt : idcircò quaſcumque Parochias in quibuſlibet territoriis, etiam extra Parochias (al. lectio Provincias) ſuas, ut antiquitus habuit, intemeratâ auctoritate poſſideat*, &c. huc uſque Zozimus.

Quæ autem fuerint Parochiæ illæ, quas in Arelatenſis Præſulis poſſeſſionem poſtliminio reverti mandat Zozimus Pontifex, facili negotio conſequi dabitur. De Cithariſta enim vetus nobiliſque extat memoria, cùm in maritimo Antonini Itinerario, tùm etiam *in lib. II. vitæ* S. Cæſarij Arelatenſis ; eſtque Oppidum illud, quod in orâ maris conſtitutum nomen obtinet, *la Cieutat*. At quî, inquies, fieri potuit ut Parochia illa, quæ longè ab Arelatenſi, & ſubtus Maſſilienſem, Orientem verſus collocata, & ab eâdem duabus poſitionibus ſeparata, (ut præfatum exhibet Itinerarium his verbis :) *à Telone Tauroento*, &c. *à Cithariſtâ portu, Mines : à portu Mines, Immandras : ab Immandris, Maſſilia* ; quî, inquam, evenire potuit, ut ea, à priori illo repeteretur Epiſcopo, quæ extra fines ſuos patenter poſita, intra Maſſilienſis, vel ſaltem Telonenſis Antiſtitis ditionem circumcluſa cenſebatur. Hoc equidem non omnino planum videtur, noſque, qui nonniſi in hujuſcemodi gradum figere præſumimus, vix quid definiendum arbitraremur, niſi ſcrupulum omnem ſuſtuliſſent ipſa Pontificis reſcripti verba : quibus ſpeciatim ordinans, ut Parochias omnes, quæ antiquitùs habuit Arelatenſis Eccleſia, *in quibuſlibet territoriis*,

etiam extra Provincias ſuas, ſtatim recuperet, manifeſtè ſignificat, eas, quæ tunc repetebantur, alienis Provinciis & territoriis fuiſſe ſuppoſitas.

QUOD idipſum de Gargariâ Parochiâ exploratum eſt: hæc enim rurſus ab Arelatenſi Metropoli X. leucis abjuncta, Maſſiliam reſpiciebat quaſi intermediam, à quâ IV. tantum leucis ad ortum diſterminabatur; ut fidem facit vetus tabula illa marmorea, ſincerâ repræſentatione, in ſchedis Peireskianis exſcripta, quæ ſic habet: *Pagani pagi Lucreti qui ſunt finibus Arelatenſium loco Gargario*........ hæc autem eruta eſt, teſtante eodem Peireskio, in Sacello B. Mariæ, cui aliud extat conterminum, quod adhuc Gargarij nomen retinet, vocaturque, *S. Jean de Garguieres*, in agro oppidi Gemenoſi, vulgò *Gemenos*. Vt vel inde omni probatione firmatum maneat, has ab Arelatenſi tractu, licet longè quàm ab aliis, procul poſitas Parochias, quòd illi antiquitùs ſubjectæ extitiſſent, iterum illius dominio accreviſſe. Id autem ob culmen Sedis, & S. Trophimi reverentiam, è cujus fonte, cùm nedùm Provincia, ſed totæ Galliæ fidei rivulos accepiſſent, conſentaneum planè videbatur, hoc, tantam Cathedram, antiquitate reliquis præſtantem, privilegio communiri; ut etiam in quaruncunque regionum locis, in quæ jus ſibi in conſtitutionis Epiſcopatuum conceſſione retinuiſſe probaret, ad illius indiſcriminatim poſſeſſionem teverterentur: quæ albo notanda ſunt calculo.

EX HIS quippe ſecura quadantenus, ad antiquam Diœceſeon Provinciæ notitiam adipiſcendam, reſeratur via: inde enim ediſcimus hoc apud Majores obtinuiſſe, ut penes antiquas, Sedes è quarum ditione Parochias detrahi oporteret, quæ recens ſtatuendi Epiſcopatus dominium componerent, facultas omnimoda remaneret, cùm eidem, tractum aſſignandi, & circumſcribendi, tùm in eodem, quas liberet Eccleſias, Altaria, & Parochias retinendi, in quibus jure Diœceſano uti

ſibi liceret. Cujus & conſuetudinis exemplum ob oculos poſitum, conſtitutique Pontificii vigor, etiam ultra integrum ſæculum perſeveraſſe perhibetur : cùm illius auctoritate S. Cæſarius Arelatenſis præfatam Cithariſtinam Parochiam, Diœceſano privilegio viſitaſſe teſtetur ejus ſynchronus S. Cyprianus Tolonenſis *lib. II. vitæ ejuſdem* : unde & Zozimi reſcripti firmatur auctoritas.

Mos autem ille Provincialium noſtrorum planè concordat, ſeu potiùs ortum ducere videtur, ex antiquiorum Canonum præſcripto, quos non tàm primùm ſtatuiſſe, quàm renovaſſe, & confirmaſſe putamus Africanos Epiſcopos, in Concilio Carthaginienſi III. *an.* CCCXCVII. quod vel ſatis innuit Canon illius XLII. Sic (ut fert quædam lectio) habens : *multis Conciliis ſtatutum eſt, ut plebes, quæ in Diœceſibus ab Epiſcopis retinentur, quæ Epiſcopum nunquam habuerunt; non niſi cum ejus voluntate Epiſcopi, à quo tenentur, accipiant Epiſcopos.* Et reliqua, quæ fuſiùs elucidantur *Can.* XLVI. in quo conquerentibus Patribus, *ordinatos quoſdam Epiſcopos in Diœceſi (concedente eo Epiſcopo in cujus poteſtate erant conſtitutæ) etiam Diœceſes ſibi vindicare*, ſtatutum eſt : ut eadem Diœceſis quæ permiſſa eſt proprium habere Epiſcopum, eo honore ita contenta ſit, ut nuſquam liceat alienas invadere Parochias ſeu Diœceſes. *Eadem Diœceſis permiſſa* (verba ſunt ſunt Canonis) *proprium tantum habeat Epiſcopum, & cæteras ſibi non vindicet Diœceſes ; quæ exempta de faſce multarum, ſola meruit honorem Epiſcopatus ſuſcipere.*

Hæc, inquam, primitùs ordinata fuerant, nam & in ipſâ Carthaginienſi prima Synodo ſub Grato, cautum præcipuè : *Ne ullus Collegæ ſuo injuriam faceret, ne alienos fines aut plebes uſurparet.* & *Can.* XII. *Antigonus Madaurenſis Epiſcopus conqueſtus eſt, ſibi gravem Optantium Epiſcopum injuriam feciſſe ; quippe qui poſt plebium diviſionem, pacto, & ſubſcriptionibus firmatam, circumiret etiam plebes alterius, & illas uſurparet.* Sed cùm ita à naturâ comparatum

ſit, ut honoris, & potentiæ illecebris ſemper ſtimulentur homines, & ad utrumque viam facilem adaperiat alienorum jurium invaſio, uno aut altero quantùmlibet fota medicamine non potuit tam citò plaga ſanari; quin potiùs ſupervenientibus in dies, id genus querelis, ſupremi medici non ſemel requiſivit induſtriam. Compertum eſt enim Innocentium I. reſcripſiſſe hâc de re ad *Florentium Epiſcopum Tiburtinenſem alienæ Parochiæ detentorem*. Nève ab domeſticis exemplis plus divertamus, iterum Arelatenſis Antiſtes Leontius, libellum Hilaro Pontifici obtulit, quo jurium Diœceſanorum inſtaurationem urgebat. *Ejuſdem fratris* (ait Hilarus) *libellus oblatus eſt nobis, quo perhibet Parochias Arelatenſis Eccleſiæ à Prædeceſſore ſuo Hilario, in alios(quod non licuit) fuiſſe tranſlatas; petens illas priſtino juri noſtrâ auctoritate reſtitui*. Notabile illud (*quod non licuit*) nec enim Antiſtiti fas erat in alios ditionem transferre.

QUOD ſupereſt, referre hîc prætermitto epiſtolas S. Gregorij ad Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, nec non ad Theodoricum, & Theodebertum Reges pro reſtitutione Parochiarum Taurinenſis Epiſcopi, cui detractæ fuerant aliquot, quæ recèns in illis conſtituti Epiſcopi, ditionem conflarent. Has, inquam, ſimileſque ejuſdem argumenti literas hîc miſſas facio, quæ ad componendas recrudeſcentes, decurrentibus temporibus, hujuſcemodi controverſias, remedio ſimul, ac præſidio fuere. Prætereo etiam Leonem Senonenſem Antiſtitem, Childeberto Regi, Meloduni Epiſcopum conſtituere volenti, aſſenſum omnem denegaſſe: *neque Diœceſim noſtram*, inquit, *à Deo nobis commiſſam, & uſque nunc Pontificali ordine, Deo propitio cuſtoditam, tanquam negligentes, ac deſides, ad alterius permittemus poteſtatem tranſire*. De Epiſcopatu Ariſitenſi in diſtrictu Ruthenenſis Epiſcopi collocato, & ad ejuſdem poſtea inſtantiam deleto, nihil ſimiliter attingo: Quòd exempla illa paulò poſteriora ſint.

Ex

Ex antedictis namque ſatis jam liquet, prioribus etiam ſæculis ſolicitos maximè fuiſſe Antiſtites, nè quid ipſis è propriâ ditione ſummoveretur, juraque, ut dicunt, primitus armata fuiſſe, nè quis in Collegæ ſui injuriam prorumperet, & fines ſuos ſupergrederetur. Sed cùm eveniſſet aliquando, ut certè evenit quarto ſæculo (nulla quippe in Provincia habetur Sedes, quæ eo tempore ſit recentior) ut, ſeu Primatum, ſeu aliâ Canonicâ auctoritate, inſigniora quædam oppida Epiſcopalis Cathedræ dignitatem conſequerentur, illud univerſim tanquam æquitati, rationique apprimè conſonum ordinatum eſſe videtur, quatenus ſic antiquiores Sedes, noviſſimè conſtitutis territorium, & pagos impertirentur, ut retentâ ſemper potiore illorum parte, & numero, & amplitudine veteres recentibus præſtarent. Nec enim ſuadere poteſt tantus illorum temporum in vendicandis Diœceſanis juribus zelus vehemens, exuiſſe ſe veteres, ut noviſſimos ſuperveſtirent, vel ipſis permiſiſſe Parochias, quæ ſuas excederent, aut adæquarent. Imò & oppoſitum ratio probat, & confirmat auctoritas: enim verò ſi (quod docuit nos memorata ſuperiùs Carthaginienſis III. Synodi diſciplina) conſtitutum fuit à Majoribus, ut ea Diœceſis, ſeu inſignior Parochia quæ, vicinâ conſentiente, permiſſa erat habere Epiſcopum, hâc prærogativâ cohoneſtata, cæteras haudquaquam moliretur vindicare Diœceſes; quòd ipſa quaſi *de faſce multarum* exempta ſatis obtinuiſſet, dùm Epiſcopum conſecuta erat: clarum erit quòd jam initio propoſui; antiquas Sedes, ut plurimùm ditione convicinis potiores, quæ ſubſequenter conſimili dignitatis apice decoratæ fuere; adeòque & illas cenſendas eſſe, reliquas antiquitatis privilegio tranſcendere, quas ſibi in tractus propagatione multùm computant inferiores.

Hinc cum notum ſit illud, quàm quod maximè, Forojulienſi Sedi ditionem finibus diffuſiorem, & Parochias ſeu

numero plures, ſeu antiquitate, maximam partem, inſigniores ſubjacere, quàm iis, quæ ante ſecundum, vel tertium Eccleſiæ ſæculum Antiſtites produnt (Aquenſem, Reïenſem, Telonenſem, Nicienſem, aliaſque conterminas intelligo) haud temerariam, erroneamque conjecturam meam quis præjudicabit; quâ aut eodem, quo iſtæ tempore, aut quàm proximè ab illo, infulis Pontificiis Civitatem Forojulienſem auctam fuiſſe contendo.

Nec cauſari hîc aliquis jure poterit, non ita validum, ex illâ Diœceſeos amplitudine, argumentum deduci, quæ primis ſæculis, arctioribus limitibus potuit eſſe circumſcripta, poſtremiſque decurrentibus, ſeu bellis, ſeu aliis temporum calamitatibus, ignotiſque nobis de cauſis, in tantam latitudinem fines ſuos proterminaſſe. Quidni & aliud ex multis evincitur; oſtendunt enim pleraque antiquæ, & illibatæ prorſus fidei documenta (quorum alibi meminiſſe locus dabitur) ampliori olim tractu potitam fuiſſe Diœceſim, ex eâque plures in dies ſubtractos fuiſſe pagos, qui convincinorum ditiones locupletarent. Nè quis tamen hæc gratis aſſerta arbitretur, probatiſſimum hâc de re exemplum proferre juvat, de inſigni Cœnobio, & Inſulis Lirinenſibus, inter Diœceſani territorij loca antiquitùs recenſitis, quæ nunc ad Antipolitanæ Sedis dominium, maximo illius decore, & ſplendoris incremento pervenerunt. Sed quantùm à Forojulienſi mutuata eſt honoris, & gloriæ, tantùndem tenetur illi in Epiſcopalis ſolij decorationis antiquitate rependere, primaſque eidem ultrò deferre.

CAPUT VIII.

Ex Antipolitanæ Eccleſiæ antiquitate, Sedis Forojulienſis antiquitas magis adſtruitur.

ANTIQUÆ ſunt omninò quotquot ſunt in Provinciâ Sedes, eæque, quarum plura è faſtis excidere nomina, ſub medium quarti, vel initium quinti Eccleſiæ ſæculi Epiſcopos exhibent, quibus alios præiviſſe demonſtrant. Nec immeritò: nam obſcuræ, vel quæ in minus celebribus conſtitutæ ſunt oppidis Epiſcopales Cathedræ, & inter plures Vintienſis, & Dinienſis. Hæc Nectarium, altera Euſebium Antiſtites ſibi vindicant probatiſſimos, circa an CCCLXX. maximo famæ præconio florentes. Quæ cum ita ſint nullus parem ſaltem in Antipolitanâ Eccleſiâ vetuſtatem adverſabitur, qui attentâ illius Civitatis ſupra alias præſtantiâ, famâ, nobilitate, atque momento, incunctanter aſſereret longè potiorem.

ERAT ſiquidem Antipolis nobiliſſimum Galliæ Narbonenſis Municipium, Græcorum Maſſilienſium, inde Romanorum celebre propugnaculum, horumque operibus tam magnificè illuſtratum, ut in eo Templa, Thermæ, Theatrum, Portus, Collegium, cæteraque ſplendidiora Romani Principatus monimenta multis ſæculis conſpicua permanſerint. Et potentior inde evaſit Civitas, quòd ipſi Municipalis honor delatus fuerit, quæ erat inſignis Urbium prærogativa, quibus utpote proprio jure, & legibus uti, Ordinemque, quemadmodum Romæ, Decurionibus, Equitibus, & plebe conſtantem habere dabatur. Unde & in iis multa primariaque nobilitas, quam certè Antipoli tàm extitiſſe frequentem, ex vetuſtis inſcriptionibus, aliiſque probatis teſtimoniis compér-

tum eſt, ut vix plures in aliis Provinciæ urbibus reperire fas fuerit. Tantum autem Municipij ſplendorem, Majoribus (qui ne vileſceret Pontificia dignitas, in vicis Epiſcopos ordinare prohibuerant) iſtic priùs, quàm in proximo, multumque inferiori Vintio Neruſiorum oppidulo ſacrum religionis faſtigium collocare, conſilium ſuggeſſiſſe quis ambigat? Sanè Antipolim, eodem ſaltèm tempore, quo Epiſcopos recenſet Vintium, Epiſcopali ſolio decoratam fuiſſe, hoc eſt, circa, imo & ante *an.* CCCLXX. obvium eſt probare. Nam diviſa tunc fuerat Provincia Narbonenſis ſecunda, eique ſui Præſules attributi; quod evincunt acta tam Aquileienſis Concilij *an.* CCCLXXXI. *in epiſt. ad Galliarum Epiſcopos*, quæ eorum, *primæ & ſecundæ Narbonenſis* expreſsè meminit; quàm Taurinenſis, poſt annos XXI. habiti, cùm in eo jus ordinationis in ſecundæ Narbonenſis Epiſcopos, ſibi à Patribus adjudicari poſtularet Proculus Maſſilienſis Antiſtes; *Et è diverſo* (verba ſunt Concilij) *ejuſdem Regionis Epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius Provinciæ Sacerdotem præeſſe non debere contenderent*: At Antipolitana Civitas ſub hâc ſecundâ Narbonenſi cenſebatur, nec in eâ Provinciâ, ſi Forum-Julij excipias, memorato Municipio, florentius animadvertes, ut ſic par fuerit illud ab initio inſtitutionis Sedium, hocce decore cohoneſtari, proindeque etiam ante horum Conciliorum tempora, ſacros habuiſſe Hierarchas.

At hæc Quantùmuis ſplendida vetuſque, ſeu Sedes, ſeu Civitas, Forojulienſi, antiquioris Cathedræ prærogativam deferre cogitur, nec quis unquam, in tàm antiqua tempora, imò & in Cemelio-Nicienſes Protomyſtas, vel Liguriæ (in cujus tractu antiquitùs cenſebatur) Apoſtolos, à quibus fidei lucem hauſiſſe gloriatur, ejus Epiſcopale faſtigium retrahet, quin eodem negotio noſtrum primatu, ſeu antiquitate præcellere egregiè oſtendat. Namque ſi ambæ eadem tempeſtate

Urbes Epiſcopales evaſiſſent, haud dubiè Antipolitanæ juribus ceſſiſſent fines ipſi urbani illius territorij, inter quos eſt ipſa Lirinenſis Inſula; quam Fauſtus, ſuâ ætate ſic Antipolitanos conſpexiſſe aſſeverat, ut Maximum illius Abbatem, ab ipſis in Præſulem expetitum, *territorij ac finium ſuorum incolam, veluti proprium indigenam complecterentur.* At hæc, licet Antipoli propinquior Inſula, in Forojulienſem ditionem ab antiquo tranſierat, hocque titulo jus illud eidem, Concilij Provincialis ſuffragiis, ſub medium quinti ſæculi (ut pluribus dicetur inferiùs) firmatum fuerat. Tunc autem cùm inter Theodorum Epiſcopum Forojulienſem & Fauſtum Abbatem Lirinenſem lapis ille circa Diœceſanam juriſdictionem moveretur, certè ni germano, & antiquo fundamento Theodori cauſa ſtetiſſet, hoc effugium continenter tentaſſet vir acerrimi ingenij Fauſtus, ut imminentis in ſe cenſuræ vindictam eluderet; dixiſſetque ſe, alterius Epiſcopi animadverſioni vel ſubditum, vel ſubdendum eſſe. Imò & fautores ejus Maximus & Valerianus Epiſcopi (quibus tam erat in ſtudiis Fauſti abſolutio) ipſeque Ravennius Arelatenſis primarius controverſiæ Judex, & in Lirinenſes proclivior; è quorum fortè Aſceterio aſſumptus etiam erat, hoc ſaltem quæſito colore cauſam ejus tueri haud prætermiſiſſent. At Forojulienſis Antiſtitis jus potius, & antiquius viſum eſt Patribus, tuncque ab iis quadantenùs præjudicatum (quod intendimus) hujus Civitatem, adepti Epiſcopatus tempore, convicinam Antipolitanam præceſſiſſe.

Neque enim conſultè quis poſſet obtendere, hanc ideò permiſſam fuiſſe Forojulienſibus Epiſcopis Lirinenſis Cœnobij Diœceſanam adminiſtrationem, quòd S. Leontius ejuſce Congregationis inſtitutionem, progreſſumque promoverit, ejuſque veluti Parens, & alter Fundator exiſtimatus, hanc in ſe, ſucceſſoreſque prærogativam invexerit: etenim inſignis hæc quantùmuis beneficentia, tantùm juris Forojulienſi Sedi tri-

buiſſe non poterat, renitente ex integro Canonum diſciplinâ; quâ pridem in Arauſicana Synodo I. *an.* CCCCXLI. (quam etiam ſubſcriptione ſuâ Theodorus noſter firmaverat) cautum legimus in hunc modum: *ſi quis Epiſcoporum in alienæ civitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit, permiſſâ licentiâ ædificandi........ non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſervatur, in cujus territorio Eccleſia aſſurgit........ Et omnis Eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio Eccleſia ſurrexit, pertinebit.* Hæc ex decimo canone, quem ad longum legiſſe non pigebit.

Hujus autem conſtitutionis auctoritate Provinciæ ipſius uſum tàm manifeſtè indicante, omnem à Forojulienſibus in Lirinenſes efflagitatam poteſtatem corruiſſe, ipſiſque ultrò à Patribus denegatam, ſi Forojulienſis Cathedra, Antipolitanæ, temporis prærogativâ ſuperior non extitiſſet, quis non palpat? Sanè obvium magis pro Fauſto defenſionis argumentum, quàm quod illius, fautorumque ſagacitatem fugiſſet. Ex eo etiàm integrum cauſæ compendium Antipolitanus retuliſſet, quem jurium ſuorum adeò inſcium, incurioſumque quis crederet, ut tam nobilem territorij portionem, tam inſignibus colonis excultam, Sedi ſuæ, quæ tantum ex eo lucratura fuiſſet, quantum maximè; huic, inquam, actione reſtitutionis in integrum adjudicari non inſtitiſſet? niſi ipſum, territorium ſuum ab Forojulienſi mutuatum, & illius exuviis locupletatum finibus ſuis contentum eſſe debere Canonicæ leges præmonuiſſent.

CAPUT IX.

Eccleſiæ Græcæ circa Diœceſeon inſtitutionem & diviſionem uſus, cum noſtro ſuperiùs expoſito, planè concordans.

HANC autem de amplitudine Diœceſeon inquiſitionem haud præſtat intercidere, antequam Orientalium de iiſdem conſuetudinem pleniùs inveſtigaverimus. Sanè ea ex integro cum uſu noſtro concordare videtur, nam neque antiquarum Sedium Præſules facilè in territoriis ſuis de novo Diœceſes conſtitui patiebantur, neque illud aggredi Primates, quibus id oneris incumbebat, ſolebant. Experiebantur enim cotidiè inferiores Epiſcopos priſtinorum jurium acerrimos vindices, quique ob innatam illam dominàndi in plures cupidinem, fines ſuos ex ambitû dilatare, quàm eoſdem ex caritate pati decreſcere ſatagebant.

ET quidem moris ejuſmodi egregium habetur ſpecimen, in negotio Eccleſiæ Iſauricæ circa *an.* CCCLXXV. Ea enim Provincia, ob præterita bella, Paſtorum ſuorum auxilio penitus deſtituta SS. Baſilij Cæſareæ Metropolitæ, & Amphilochij Iconienſis Epiſcopi (quorum nomen omni laudum præconio majus) ſolicitudinem egregiè excitaverat: iſteque, ut erat vicinior, manum operi primus admovens, Baſilij laudem & commendationem, pro rebus ibi jam geſtis, promeruerat. At dùm ad Epiſcoporum inſtitutionem deventum fuit, conſultiſſimus Baſilius, tanquam in re gravioris momenti, conſilium ſuum aperire non diſtulit. Cenſuit itaque ille è re ejus

Eccleſiæ fore, ut Provincia Iſaurica unius regimini Præſulis committeretur, ſi tandem miniſter aliquis huic ſuppar oneri reperiri poſſet. Sin minùs autem, id in-primis providendum eſſe duxit, ut Epiſcopi quam-primùm inſtituerentur in exiguis civitatibus, ubi olim fuerant Cathedræ collocatæ: quò ſcilicet Urbis Epiſcopo ſeu Metropolitæ omne præcluderetur oſtium, ad pacem & ſtatum Eccleſiæ perturbandum, ſi præcipue aliorum Præſulum in Provincia aſſignandorum, ordinationi conſenſum ſuum denegaret: quod crebrum erat, propter illam pluribus imperandi cupiditatem, inquit Baſilius *Epiſt. CCCCVI. ad Amphiloch.* cujus etiam verba ipſa, è quibus hæc contexta fuere, non abs re erit hîc adducere, ſic autem incipit. *Prout dignum erat tua diligentia, cujus ego ſemper laudator exiſto, Eccleſia Iſaurica negotia procuraſti* & poſt aliqua. *Itaque præſtaret forſitan unum aliquem probatum virum, ſi modò facilè inveniri poſſet, ad clavum Civitatis conſtituere, & permittere ut ſingulorum res in periculum ipſius verterentur adminiſtrandæ: tantummodo ſi ſervus Dei exiſtat operarius non pudefaciendus. Is ſi ſe viderit huic curæ ac ſolicitudini imparem, in meſſem ſibi aſſumet operarios. Si hujuſmodi quemvis invenerimus, agnoſco libens; unum eſſe multorum inſtar: quin & magis è re Eccleſiarum, minus cum noſtro ipſorum periculo, animarum curam & procurationem iſtius diſpenſationi committendam eſſe. Quod ſi non erit res in promptu ſita, tùm in-primis id agamus, ut exiguæ civitates & tenuiores viculi, quibus olim Epiſcopi præſidebant, Præpoſitos ſuos nanciſcantur.* Quo autem conſilio, & quo fine illud præſcribat S. Pontifex his ſequentibus declarat: *Tum Epiſcopum profectò Urbis excitabimus, ne qui conſtituetur ſit impedimento nobis aliquo, ad conſequentem rerum diſpenſationem, neve bellum domeſticum exordiamur gerere, propter illam pluribus imperandi cupiditatem: poſtremò ne nolit ſuffragio ſuo ratas facere Epiſcoporum ordinationes.*

Huc uſque S. Baſilius: è cujus ratiocinatione ultrò colligi datur, antiquiori Sedi ſeu Epiſcopo amplioris tractus prærogativam

gativam ita tributam fuiſſe, ut non niſi ex ejus aſſenſu, novas in ea Diœceſi, quantumuis dilatata, Sedes excitari, etiam in Metropolitarum ſeu Primatum poteſtate ſitum ſemper fuerit: non ideo equidem, quod illi ex officij prærogativa hâc facultate interdicti eſſent, quæ eis ultro, ex Canonum ſupra adductorum diſpoſitione, conceſſa erat; ſed ex eo quòd primates Eccleſiaſticæ unitatis amantiſſimi, qualis erat profectò S. Baſilius, aliique, peræ grè talia moliebantur, unde diſſenſiones & ſchiſmata in ſuis Provinciis exurgere prævidebant.

Idem autem S. Primas etiam ex tot adhibitis cautionibus, Eccleſiarum tranquilitatiti haud ſatis proſpectum eſſe ſuſpicans, verenſque ut Epiſcopos in vicis ordinare difficile eſſet, eâ conditione Præſulem in Urbe primariâ conlocari conſentit, ut ei non omnis indefinitè Provincia aſſignetur, ſed peculiaris ejuſdem tractus circumſcribantur, quatenus datâ opportunitate liberum ſemper eſſet in iis civitatibus Epiſcopos ordinare, qui debitâ factâ informatione, tanto honore digni haberentur. Sic enim *in eadem epiſt.* proſequitur: *ſin gravius hoc videtur* (videlicet in minoribus illis oppidis Pontifices collocare) *illud ſaltem tua curet intelligentia, ut Iſaurus ſuo circulo circumcircinetur, nec ad ſuos quoſdam vicinos ordinandos admoveat manus. Quod reſtabat noſtræ curæ theſauriſetur, ſcilicet ut ſingulis ordinemus Epiſcopos, cum videbitur opportunum, eos ſcilicet qui judicabuntur, diſquiſitione habitâ, in-primis idonei.*

Hæc fuit S. Baſilij ad Eccleſiarum Provinciæ Iſauricæ inſtaurationem ſapiens ordinatio, circa annum, ut præmonui, CCCLXXV. è quâ ſatis demonſtratur Orientalium uſus, dùm de novis Sedibus conſtituendis quæſtio movebatur. Quæ ſane regula penes noſtros egregiè cuſtodita, prælibatis capitibus expoſita fuit. Ex eâ autem uſuum utriuſque Eccleſiæ cohærentiâ omnium maximâ, illud ipſum quod initio comprobandum aſſumpſi, liquidò remanet: illas nempè Sedes & Diœceſes, quæ

F

conterminis amplitudine plurimùm præſtant, iiſdem in univerſum inſtitutionis tempore ſuperiores exiſtere. Hiſque potiſſimum momentis Forojul. Eccleſiæ Initia rimari & illuſtrare in præſentiarum tentavi, donec meliora & clariora ſuccedant.

Quod ſi quis alius perſpicacior, cùm hæc, tùm alia uti infirma jejunaque repudiet, vel ex eo potiſſimùm, quòd Protomyſtarum noſtrorum nomina prodere & eorum continentem Chronologiam texere non ſuppetat, non queror ego, neque ſuccenſeo; ſed nec ille criminetur & vitio contrà adſcribat conatus hoſce noſtros qualeſcunque, quibus vel obſcuris admovere lucem, vel antiquis, quodam poſtliminij jure, reſtituere dignitatem annitimur: quò ea quæ ob injuriam temporum, vel ob eorum incuriam quibus hæc tradere poſteris incumbebat, ſunt nobis maximo damno incomperta, quo fas eſt compendio reſarcire ſtudeamus. Quæ ſanè minùs miratur ſæculum noſtrum, in eo feliciſſimum, quòd ingeniorum labore, ſolertiâ, & perſpicacitate plerunque eveniat, ut multa ad antiquæ Hiſtoriæ integritatem ſpectantia detegantur, quæ hos latuerunt, qui propiùs ab iis temporibus degiſſe comprobantur. At licet pari fortunâ beari Eccleſiam noſtram optemus ex animo, ut eorum aliquando coli memoriam detur, è quorum doctrinæ limpidiſſimis aquis, ad nos uſque fluenta manarunt: non tamen tàm inſano in eam ſtudio uſquam flagratum ire pollicemur, atque teſtamur, ut alia inania futiliaque carpentes, vel ſuppoſititios, vel ex alienis Sedibus emendicatos Antiſtites præponamus, quos utique, ut monet Guibertus Abbas *lib. I. de Sanctis cap. III. §. II. ſui ipſorum auctoritas exauctorat; quos tacente Clero, pro nutu ſuo ſibi fingunt patronos anus, & vilium muliercularum greges: quid enim magis ſacrilegum, quàm pro Divino excolere non Divinum?* Et hoc nihilominus plures ſimile argumentum tractantes, attentare non veritos eſſe ſatis compertum habetur.

Sed hâc impotentiâ, Dei beneficio, non laboramus: aliud enim eſt, noſtro judicio, malâ fide ſuppoſititia obtrudere, & aliud ex probabilibus conjecturis & genuinis ratiocinationibus, quod veroſimilius videtur proferre.

CAPUT X.

Accepti à Forojulienſibus in Pontificem deſignati Hiſtoria, ex geſtis in Synodo Valentinâ primâ, refertur & expenditur.

ECCE primam, quam legimus hactenus, Eccleſiæ noſtræ mentionem expreſsè habitam, ſed quæ tam certò antiquiora ejus Initia ſubarguit, ac ſi graviſſimis teſtimoniis aſſerta eſſent. Integra deducitur hiſtoria ex primo Valentino Concilio celebrato IV. Id. Julij an. CCCLXXIV. è quo habemus Acceptum, probatum, *Sanctiſſimumque* (ut vocant Patres) miniſtrum ab Eccleſiâ Forojulienſi in Præſulem electum, cùm nec verbis, neque precibus ſacrum eligentium conſeſſum poſſet à propoſito dimovere, ſtatuiſſe, ut tremendam ſarcinam ſuis ab cervicibus æternùm excuteret, ſe eorum criminum reum propalare, quæ nedum ſuſcipiendi, ſed & ſuſcepti gradus exauctorationem, ſecundum Canonicas ſanctiones poſtularent.

HÆc cum audita fuiſſent à Forojulienſibus, multique inde majus ſanctitatis argumentum illud eſſe judicarent, quòd eo animo (quod & verum erat) hæc ab Accepto dicta putabant, ne ſummi Sacerdotij delatum honorem accipere cogeretur, acriùs illius ordinationem urgebant, alios vel ob Canonum reverentiam, vel fortè ob minùs notam Accepti Sanctitatem

hæſiſſe par eſt credere; atque inter illas piiſſimas concertationes, ſaniori conſilio, mediam tandem initam fuiſſe viam, quâ placuit: ut totius ſumma negotij ad Patres in Valentinâ Synodo proximè congregandos, vel fortè jàm congregatos, per Concordium Arelatenſem Epiſcopum judicanda deferretur. At cùm omnium vehemens in Acceptum perſeveraret ſtudium, enixè etiam Metropolitam illum conteſtati ſunt, ut illud Patribus faceret manifeſtum, quò tandem ad nominationem Accepti (quia utpotè ſe falsò criminum reum, ut dignitatem effugeret, fatebatur) decreto Synodali firmandam incitarentur. Placet Epiſtolam ipſam ſubjicere, è quâ narrationem hanc contexuimus, cùm fortè nihil hoc ſæculo obſervatû dignius, nec antehac conſtitutum quidquam fuerit, quod ineluctabiliùs, quâ puritatis eminentiâ ſacer Clerus ſplendere debet, evincat. Hæc autem ita habet.

Dilectiſſimis fratribus, Clero, & Plebi Eccleſiæ Forojulienſis.

1. Agienſis.
3. Viennenſis.
4. Ebredunenſis.
5. Dienſis.
6. Trevirenſis.
7. Lugdunenſis.
9. Tolozanus.
10. Aurelianenſis, nam codex Anicienſ. habet Evortium.
12. Arauſicanus, qui interfuit Aquileienſi C. poſt an. VII.
14. Arelatenſis.
17. Valentinus.
21. Dinienſis.

1. *Ægadius*, *Eumenius*, 3. *Florentius*, 4. *Artemius*, 5. *Æmilianus*, 6. *Britto*, 7. *Juſtus*, *Euodius*, 9. *Rhodanius*, 10. *Eortius*, *Chreſtus*, 12. *Conſtantius*, *Paulus*, 14. *Concordius*, *Antherius*, *Neoterius*, 17. *Nicetius*, *Urbanus*, *Felix*, *Simplicius*, & 21. *Vincentius Epiſcopi in Domino ſalutem.*

Quamvis tam ea benedictus frater noſter Concordius de Sanctiſſimi Accepti perſona ſuggeſſerit, quæ prudenti, & Chriſtiano viro digna ſunt, quàm, quod ſtudio omnium veſtrum ad honorem Sacerdotij poſcatur, edixerit: tamen quia in Synodo jám ſederat, ordinationes hujuſmodi ſubmovendas, quæ ſine ſcandalo eſſe non poſſunt; non potuimus præſtare uni quod cæteris negabatur. Et *licet non ignoraremus, multos verecundiâ, & nonnullos ſuſcipiendi Sacerdotij metu trepidos, quæ utique ſigna ſunt ſanctitatis, falſa in ſe, rejiciendi honoris causâ, dixiſſe: ta-*

ment quia omnium ferè ad ea quæ ſunt pejora preclive judicium eſt, & materies diſputationum ex obtrectatione Sacerdotum Dei quæritur: ſedit in Synodo, ut quiſquis de ſe vel vera, vel falſa dixiſſet, fides ei, quam ſuomet teſtimonio confirmaret, haberetur. Quapropter decretum eſt ſubmôvendos protinus eſſe ab eo gradu, quem ab omni ſcandalo liberum eſſe decet.

EXPENDENTI mihi ſæpenumerò ejus Epiſtolæ contextum, ſcrupulum fecerat, cùr Patres, Accepti confeſſionem fugiendi Sacerdotij metu emiſſam, ſigna ſanctitatis agnoſcant, & tamen illius inaugurationem omninò prohibeant; quæ certè pugnare invicem viderentur, niſi quæ habentur circa medium: *tamen quia in Synodo jam ſederat*, & continenter: *non potuit præſtari uni, quod cæteris negabatur*, indicarent, hanc aliâ de causâ jàm fuiſſe ventilatam quæſtionem, definitumque manſiſſe, ut cuilibet *fides, quam ſuo teſtimonio confirmaret, haberetur*: proindeque erroneum eſſe, quod olim eruditos viros exiſtimare didici, Accepti occaſione, inſertam canone quarto ejuſce Concilij conditam fuiſſe ſanctionem.

ERRONEA, inquam, hæc eſt ſententia, canoniſque illius edendi materiem præbuerat aliorum ſanctorum Sacerdotum humilitas, qui tremendum Miniſterium ſuſcipere veriti, piiſſimam illam (ſi quæ fuit unquam) fallendi artem excogitaverant, quam aliorum exemplo ſecutus fuerat Acceptus. Illi autem, præ cæteris, haud ſcio an præluxerat memorandum illud Ambroſij contribulis (plures enim eum Arelatenſem jure exiſtimant) factum, cui ipſomet anno, in Præſulem à Mediolanenſibus expetito, eodemque metu percito, prima curarum fuerat, exquiſitiſſimis pœnis reos palam torqueri juberé, ſcortaque in Palatium accerſere, ut vel ſic, crudelis, laſcivuſque reputatus, ab eligentibus, tanquam gradu indignus rejiceretur.

EMINENTISSIMUS Baronius utrumque, Accepti ſcilicet,

& Ambroſij facinus, ſpeciali animadverſione diſtinxit, cùm de Synodo Valentinâ, & datâ ad Forojulienſes Epiſtolâ, ſic proſequitur: *Memoriâ planè dignum eſt quod ſtatuerunt Patres...... Epiſt. ad Clerum & pleb. Forojul...... ſimile quid nuper vidimus in Ambroſio: nam ut Sacerdotij dignitatem effugeret, crudelis atque impudicus videri voluit; ac ne ſic quidem valuit onus effugere, qui hujus canonis paulò ante promulgati auctoritate nonnihil juvari potuiſſet, niſi populi in eo petendo conſtantia fuiſſet quâvis lege ſuperior.* At cùm S. Ambroſij ordinatio in menſem Decembrem ejuſdem anni CCCLXXIV. ex Baronij aliorumque Scriptorum calculo (reclamante licet Panuino *in faſtis*) rejiciatur, & Valentina Synodus quæ Accepti cauſam definivit celebrata fuerit IV. Id. Iulij ipſiuſmet anni; non Ambroſium Accepto, ſed Ambroſio Acceptum exemplo præiviſſe, ex hâc Chronologiâ dicendum erit.

Sed quidquid ſit, primus novæ illius legis pœnam ſubiit Acceptus, expertuſque eſt tàm ſuavem, quàm Forojulienſes ſenſere duriſſimam: at neque de hâc, Sanctiſſimo, ut vocant, Viro remitti poſſe cenſuere judices æquiſſimi, ut inde colligerent omnes, quâ conſummatiori virtute clarere oporteret, qui Divino cultui ſunt mancipandi; ſanctæque Profeſſioni adſciri magis pertimeſcerent, qui reverâ ſe criminum reos agnoſcerent, cùm & illos, qui ea ſibi falsò affingebant, Eccleſia reſpueret. Hineque non mediocris, meo judicio, Eccleſiæ Forojulienſi, gloriæ ſplendoriſque cumulus accedit, quòd miniſtros habuerit aliquando, piæ huic ſplendidæque, ut ita loquar, culpæ obnoxios; quæ etiam, ſupra plurimas virtutes, illius Cleri pietatem, & ſanctimoniam commendat.

CAPUT XI.

Acceptum Forojulienſis Cathedræ Protomyſtam non fuiſſe probatur.

Ecclesiæ antiquitatem maximam oſtendere ſuprà, moxque illud etiam ex memorati Concilij geſtis evincere polliciti ſumus. Sed nunquid ex adverſo ſubit mentem cogitatio, Civitatem à tempore tantùm Concilij, Epiſcopali ſolio adauctam fuiſſe, Acceptumque primum duntaxat electum, deſignatumque Antiſtitem, cùm nullius ante ipſum extet memoria? Attamen ex ipsâ Synodi Epiſtolâ, & oppoſitum elici, & Accepto Pontifices in Cathedrâ præiviſſe obvium eſt. Si enim vel in mentem revoces, Cleri, populique ſuffragiis Acceptum in Præſulem expetitum fuiſſe, occurret illicò, tunc in defuncti Antiſtitis locum ſubrogatum eſſe. Quis enim tàm hoſpes eſt in Hiſtoriâ, vel Canonicæ inſcius Diſciplinæ, quem lateat, nuſquam fuiſſe plebibus licitum primos ſibi Epiſcopos deligere, Cathedramque, ubi non fuerat ante, collocare?

Hæc fuit ſemper prima præcipuaque Apoſtolorum, & Apoſtolicorum, & poſt illos Primatum poteſtas, unde & *Can. IV.* Concilij Sardicenſis, ſtatutum fuerat, *ne daretur licentia conſtituendi Epiſcopos in vicis*: quod evincit, non penes populum hanc uſquam poteſtatem fuiſſe. Propthereaque ordinaverat etiam antiquitùs Eccleſia Africana, *ut plebes quæ nunquam habuerunt Epiſcopum, niſi ex Concilio plenario uniuſcujuſque Provinciæ, & Primatùs, atque conſenſu ejus, ad cujus Diœceſim eadem Eccleſia pertinebat, decretum fuiſſet, minimè acciperent.* Ex quibus habes, Concilium plenarium Provinciæ, & Primatis licentiam & Diœceſani Epiſcopi conſenſum novæ Sedis conſtitutionem præcedere debuiſſe.

Unde cùm in hâcce electione neutrum horum veſtigium appareat, imò & Accepti deſignationem, urbani duntaxat ſuffragij viâ factam eſſe liqueat: non conſtans definitumque haberi non poterit, tunc ſuffectum fuiſſe Antiſtitem, qui demortui Sedem occuparet, non autem Cathedram ibi primùm collocatam; proindeque nullo manente ſcrupulo aſſeverandum, Acceptum Forojulienſium Protomyſtam non eſſe, alioſque ante eum ſediſſe Præſules.

Et hæc, præter jam memorata, ſuadent tùm honorificæ illæ totius Epiſcoporum ſacri conſeſſus ad Clerum Literæ, quæ ſatis demonſtrant, illius in Urbe conſtitiſſe cœtum, ſui ſanctitudine, juxta atque numero commendabilem: quem etiam illis temporibus reperire non erat in oppidis, Cathedræ, ſummique Sacerdotij faſtigiis haud hactenùs inſignitis, tùm aliquot Provincialium Epiſcoporum ſubſcriptiones, qui Eccleſiis præfuiſſe dignoſcuntur, quæ Forojulienſi antiquitatis honorem ultrò deferunt.

Neque enim cujuſquam animum ſuſpicionem pulſare poſſe arbitramur, de Accepto in Presbyterum tantummodò ordinando, eò temporis actum fuiſſe. Si enim ex dictis firmum maneat Fori-Julij tunc inſtitutam fuiſſe Sedem, quibus jam Dinia, Vintium, aliaque inferioris dignitatis oppida gloriabantur; perſpicuum eſt, exurgentem controverſiam, vel per proprium Epiſcopum terminandam fuiſſe, vel ab ipſomet ad Synodum deferendam; cui tandem ſi intereſſe haud liberum Forojulienſi, ad eum ſaltem, non autem ad Clerum, & Plebem Fori-Julij conſiſtentem Epiſtola primitùs directa eſſet. Denique Synodi canon IV. de cujus obſervantiâ nil remittere poſſe teſtantur Valentini Præſules, contra eos latus erat, qui in Epiſcopos deſignati, falſa de ſe crimina prodebant; optimæ ſiquidem fidei Codices M. S. videlicet: *Lugdun Rhemen. Anitien. & Foſſaten.* (ut notat Sirmondus) ita præferunt: *neque enim abſolvi*

ſolvi in his poteſt ſi in Epiſcopos ſe dixerint, quod dictum in alios puniretur. Igitur & Epiſtola quæ hujus definitionis auctoritate nitebatur, non niſi de primi ordinis Sacerdote ſtatuiſſe, etiam ex hoc momento perhibetur. Nam aliunde conſtat Epiſtolam ipſam Epiſcopum deſignare, dùm Acceptum ad *honorem Sacerdotij* poſtulatum exprimit; ſciunt quippe eruditi prioribus ſæculis vocem illam *Sacerdotij* & *Sacerdotis* ſimpliciter, de Epiſcopatu & Epiſcopo genuinè intelligi: Et præter SS. Patres Cyprianum, Ambroſium, Auguſtinum, Apollin. Sidonium, *&c. Sacerdotium* pro Epiſcopatu uſurpat etiam, Lex 35. 44. *Cod. Th. de Epiſcopis. l. 3. de Fide. Cathol. l. 1. ne ſanctum Baptiſma.* Sed hæc clariora ſunt.

Porrò ſi Acceptus primus Forojulienſium Hierarcha non fuit, ſique alij ante eum Sedem occuparunt: etſi obſcuri, penituſque ignoti illi ſint, inſignis ejus Eccleſiæ Initia magis ac magis exinde illuſtrantur, memoratâque Valentinæ Synodi tempeſtate, antiquiora eſſe facilè convincuntur.

G

CAPUT XII.

Inquiritur Quis ab an. CCCLXXIV. habitæ Valentinæ Synodi, Eccleſiam rexerit: Ex quâ occaſione, Leporij monachi error exponitur, & retractationis ejuſdem epoche inveſtigatur.

CUM ex memoratâ Epiſtolâ ſatis ſuperque liqueat, præceſſiſſe Antiſtites Accepto, nunc venit inveſtigandum quis illi ſucceſſerit. Irritâ enim illius electione judicatâ, Cleri, populique ſanctitas non diuturnius pati debuit Interpontificium, Eccleſiaque longùm viduata non potuit citiùs non recuperaſſe Paſtorem. At quis tandem ille fuerit? Definire non ità facile. S. Quillinius, & S. Leontius ambo, inter hæc tempora, catalogo Forojulienſium Præſulum inſeruntur; at utrique tempus adminiſtrationis aſſignare, & alicui primatum deferre labor, ni excutiantur quæ hactenus invaluere de Leontio, & Lirinenſium initiis ſententiæ.

ETENIM ſi (quæ iſtorum traditio eſt) Honoratus Lirinum colere cæpit circa *an.* CCCLXXV. quo tempore Leontium Fori-Julij degiſſe Antiſtitem oportuit; cujus utpote viciniâ allectus Cænobiarcha ille, hanc regionem prælegerit (ut ait ait Hilarius *in ejus oratione Panegyricâ*) conſequens eſt, ut Quillinius ex faſtis noſtris expungatur, cùm ab inde Leontius Eccleſiam continenter adminiſtrarit, uſque ad annum CCCCXXXII. nulluſque in hocce intervallo detur locus Quillinij regimini, quem tamen contendunt ſediſſe circa annum CCCCXX. & XXV. quotquot directam ad eum exiſtimant epiſtolam Leporij Monachi. Nos itaque, qui neque Lirinum floruiſſe

ſecundum Lirinenſium computum, neque Epiſtolam Leporij annis præcitatis ſcriptam eſſe probabiliſſimum credimus, haud difficulter Quillinio aperiemus tempus regiminis, juraque illius per nos illæſa ſervabuntur, donec clariora ſuperveniant.

Enim vero cùm receptæ de eo traditioni quandantenus concordent quædam M. S. exemplaria Lirinenſia vitæ S. Honorati, quæ, *Julianum* alias *Quillianum* (quam poſtremam lectionem obſervaſſe mihi teſtatus eſt V. Cl. Lud. Morerius) Fori-Julij Antiſtitem ſediſſe, & Leontium in Urbem adventantem ſummâ humanitate excepiſſe; ratio hucuſque nulla ſuadet, ut hunc veluti ſuppoſititium eliminemus. Imò cum non occurrat nomen ſuffecti Antiſtitis in locum Accepti exauctorati, nil cauſæ apparet, cur Quillinio & hoc Sedis initium non aſſignetur: quod etiam ſuadet recepta ejus uſquequaque Sanctitas, quam decebat eſſe talem, in eo, qui ſanctiſſimi Accepti vicem ſuppleret.

Quillinius itaque facilè explere potuit annos XXV. ſæculi quarti reſiduos, & decennium ſubſequentis attingere, intra quod, Leporij, & Africanorum Patrum literas ſcriptas, & ad Proculum, & Quillinium (quos Maſſiliæ & Fori-Julij Antiſtites fuiſſe exiſtimant eruditi) miſſas, probabile demonſtrabitur, poſtquam Leporij ipſius geſta paucis fuerint elucidata.

Ille igitur Leporius monachus fuit Gallus, & fortè Provincialis, ex præcipuis Pelagianæ hæreſeos aſſertoribus, ut ait Caſſianus *lib. I. de Incarn. cap. IV.* qui cum ab Epiſcopis Provinciæ, ſed potiſſimùm à Maſſilienſi, & Forojulienſi, Proculo, atque Quillinio, quorum haud dubiè juri ſuberat, correptus, recta ſentire, atque in ordinem regredi renuiſſet, è Monaſterio pulſus in Affricam transfretavit: ubi à S. Auguſtino verſatiſſimo, paratiſſimoque ad hoſce erroris morbos propellendos medico ſanatus, & ab hæreſi revocatus palinodiam cantitavit. Attamen cum ejus publicus in Galliis lapſus

maximo fuiſſet in Eccleſiâ ſcandalo, conſentaneum duxit S. Doctor, ut publicum extaret ejuſ retractationis documentum, quod propriis Epiſcopis *Proculo & Quillinio* Leporius inſcriberet, quod & diligenter præſtitit: utque major teſtatiorque apud illos ejus pœnitentiæ fides appareret, ſcripſit ad eoſdem ipſemet S. Auguſtinus, cum Collegis Aurelio Carthaginienſi, Florentio & Secundino, quorum omnium epiſtolas requirito in actis Conciliorum *Tom. II. noviſſimæ edition.*

His ita poſitis, hoc fermè unicum obeſſe poſſet receptæ ſententiæ, quæ has Literas Quillinio Forojul. dicatas fuiſſe tradit: ſi *an.* CCCCXXVI. ut putat Labbeus, XXV. uti Sirmondus, imo & XX. uti opinatur Baronius emiſſæ fuerint; cùm hiſce temporibus Leontium Sedem tenuiſſe, conſtans ſit. At in anteriorem epocham Literas illas retrahere multa ſuadent. Primò enim certum videtur, haud publicas factas fuiſſe annis CCCCXVIII. & XVII. nam cùm tunc datæ fuerint epiſtolæ Zozimi *ad Patroclum Arelatenſem, Clerumque, & plebem Maſilienſem*, quibus illis intimabatur exauctoratio Proculi, longè antea apud Romanos malè audientis, in cujus etiam locum jubet alium Antiſtitem ſubrogari, dubio procul neque ſanctiſſimi Africani Præſules tàm honorificè ad Epiſcopum ſcripſiſſent, jàm Apoſtolicæ Sedis judicio damnatum, neque Leporius proprium Antiſtitem, vel è Sede ſuâ propulſum, vel mox propellendum tanto ſtudio interpellare curaſſet. Sed neque opponas damnationem illam Africanos Patres latêre potuiſſe: nam & hunc dimovet ſcrupulum altera Zozimi Papæ epiſtola anno ſuperiori data, nempè CCCCXVII. *Honor. Aug. XI. & Conſtant. II. Coſſ.* in quâ diſertè teſtatur Pontifex: *auctoritatem ſcriptorum latere non poſſe, quibus Proculi damnationem per diverſa terrarum loca jàm publicam fecerat.* Igitur ſi ante memoratum annum innotuit cenſura Proculi, rursùm ante eum, collocare erit Libellum Leporij, & Africanorum ad ipſum Pro-

culum: quod adeoque reliquorum ſententiam conficeret, quos, hanc ipſam retractationem, poſt hæc tempora, ſcriptam velle jàm advertimus. Nam & illud adjici debet, Præſulum Maſſilienſium tabulas, Paulum Antiſtitem, & Proculi ſucceſſorem exhibere anno CCCCXVIII. unde ſi chronologia illa genuina eſt, Proculus, circa eam tempeſtatem, quâ ſcripſit Zozimus, aut vitam, aut regimen deſeruit.

Ex iis itaque quæ innoteſcunt de Proculo Maſſilienſi, ad quem Africanorum Literæ directæ ſunt, penè certum eſt, eas ante annum CCCCXVII. ſcriptas fuiſſe; nunc erit fortè aliud operæ pretium inveſtigare, nùm ex geſtis eorum, qui eaſdem direxerunt, illarum inſcriptio poſſit etiam anterius rejici. Et quidem qui ſubſcriptionibus ſuis Libellum Leporij firmaverunt præter Aurelium Carthaginienſem, & S. Auguſtinum Hipponenſem (qui ſub idem tempus Epiſcopij ad annum ſæculi quinti circiter trigeſimum ambo pervenerunt) hi fuere ſcilicet Florentius Hipponenſium Diarritorum, ſeu Hippozarritenſis, & Secundus Aquenſis, ſeu Megarmitanus, qui multæ pietatis, & doctrinæ Epiſcopi variis rebus geſtis præſtitere ſe commendabiles. Illi enim judices deputati ſunt *in cauſâ Maurentij Tuburcenſis Ep. an. CCCCVII.* & poſt *an.* IV. in Collatione Carthaginienſi primæ diei *cap.* CXXXIX. Ab inde inter tot, tantaque in Eccleſiâ Africanâ egregiè præſtita, horum Præſulum non occurrit memoria. Florentius ſaltem non interfuit celebri Concilio Carthag. II. *contra Pelagianos an.* CCCCXVI. cui omnes Provinciæ Proconſularis, in quâ ſita erat Hippozarritus, præſto adfuere; nomen quippè illius deſideratur, in Epiſtolâ Synodali Patrum ad Innocentium Pontificem. Undè tunc eum in vivis eſſe deſiiſſe ſuſpicione non caret; aliter ſiquidem tantus Pontifex Eccleſiæ pacis ſtudioſiſſimus, Pelagianæque hæreſeos ſtrenuus profligator, qui tàm felicem in Leporij correptione navarat operam, vix adeſſe

neglexiſſet Provinciæ ſuæ Synodo, in quâ Pelagius, & Cœleſtius horum dogmatum anteſignani damnandi erant.

Atque hæ ſi non reſpuerentur conjecturæ, memorata Libelli Leporij miſſio etiam ad *an.* circiter CCCCX. retrahenda eſſet; fortèque in eo haud erroris poſtularetur Flavij Dextri Chronicon, Leporij retractationem aſſignantis ad an. currentis illius ſæculi ſextum, quem Bivarius ejus Scholiaſtes, & alij tuentur; nec video quid cauſæ ſit, cur longè poſt hoc tempus retardetur.

Etenim inter hæc tempora Proculus erat in ore famæ Maſſiliæ; Quilliniumque Fori-Julij tunc ſediſſe nil vetat. De Leporio non alibi monachum egiſſe, quàm in Cœnobiis Provinciæ, ubi erant hâc tempeſtate florentiſſima, Maſſiliæ in Inſulis Stœchadibus, & vicinis regionibus multa ſuadent: tùm quia Caſſiano ibidèm notus, atque ab eo admonitus fuiſſe aliquibus videtur; tùm maximè quia Proculus omnium conſenſu fuit Epiſcopus Maſſilienſis, quique adeò nonniſi in ſui juris monachum agere potuerat. Ad quid igitur, inquies, Quillinio etiam Libellus inſcribitur, cùm non fuerit proprius Leporij Epiſcopus? Sed de eo aliæ cauſæ intercedere potuerunt: vel enim Leporius divertit ad oppida, vel Monaſteria Diœceſeos Forojulienſis, ubi etiam prava dogmata diſſeminavit, vel inter Leporij errorum ſocios (fuere autem aliqui, ut patet tùm ex ejus Libelli ſubſcriptionibus, tùm ex titulo eidem appoſito in *antiquo codice Leodienſi M. S.* in quo disertè aſſeritur Leporium *per epiſtolam Catholicè ſentientem reconciliatum eſſe cum ſociis ſuis*, quod tamen pauci advertunt) erant Diœceſeos urbanæ Quillinij, ut ſic opus fuerit convicinos Epiſcopos commune periculum præcaventes, communem in Leporij, & ſociorum cenſurâ operam elocaſſe: unde meritò ad utrumque illorum retractatio emitti debuit.

Quod ſupereſt Quillinij nomen in Lirinenſibus tabulis

utcumque conſignatum, haudquaquam etiam deſiderari in noſtris, & tam Kalendarium, quàm Litanias M. S. notæ antiquiſſimæ *S. Quillini* nomen preferre (quod in prælo commiſſis poſtea exemplaribus vitiatum eſt, in illis *Quinnidij* nomenclaturâ ſubjectâ) contendit Vir eruditus ex noſtris Joſephus Vayrac Presbyter, cui ſanè hâc in parte non aſſentior: Nam longo mentis, & oculorum niſu, ejus nominis apicibus, in membranâ penè obliteratis, diſcuſſis, viſum eſt potius *Quinnidij* nomen, unde & recentiori manu literas *n.n.* intermedias in *ll.* confictas eſſe, mentem ſuſpicio interdùm pulſat.

HÆC de Quillinio ſacra Initia Forojulienſia, ex ordine temporum inveſtigando, recenſenda erant, cujus ſanè exiſtentiam haud uſquequaque certam affirmare auſim: & qualem profectò in eo, qui poſt eam tempeſtatem regimen aſſumpſit, demonſtrabit ☞

CAPUT XIII.

In quo S. Leontius Scriptorum teſtimoniis & monimentis omnis ætatis Epiſcopus Forojulienſis aſſertus & celebratus repræſentatur.

SAPIENTER à Majoribus ordinatum eſt, ut ſummâ fide, & diligentiâ Sanctorum geſta conſcriberentur, cautumque nè verbum, vel apex unus leviter in eorum actibus infereretur. Fuere tamen, qui tot variis temporibus ab Eccleſiâ editarum ſanctionum vel immemores, vel (quod culpabilius) contemptores, dubiis promiſcuè, & ſupoſititiis, prout ſuggeſſit animus, Eccleſiaſticas tabulas denigrarunt. Quo factum fuit, ut tempore errori, & intempeſtiuo ſtudio patrocinante, multi

peregrina illa plus nimio fuerint tutati: utque appoſitè Prudentius *in Symmach. lib. I.*

Sic obſervatio creſcit
Ex atavis quondam malè cæpta, deindè ſequutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta.

Fuere & alij qui oppoſitam viam ſecuti, & ad extrema damno pari in tranſverſum acti, à Patribus intemeratâ fide accepta repudiare, proſcindere, vel in dubium revocare non ſunt veriti; ſicque diſceptationibus plus plerunque fovendæ inani curioſitati, quàm promovendæ ſinceræ pietati accommodatis, etiam cotidiè abutuntur operam. Neminem hîc carpere mens eſt, ſed ex iis duntaxat, ſimile prævertendi periculum, ſtudium exurgit. Cùm enim Eccleſia noſtra S. Leontium uti Patronum agnoſcat, & uti Antiſtitem veneretur, nè in hoc vel erroris ſuſpicione notari poſſit in poſterum; (in quem profectò Pictavienſis, Victorinum Petabionenſem in ſuperiori Pannoniâ Epiſcopum, & Reïenſis noſtra, Proſperum laicum hominem, in dipthyca ſua tanquam proprios Epiſcopos referentes, inciderant) nunc ejus quæ in ſe eſt fidei rationem reddere, paratam ſeſe exhibet. Propptereaque adductis, excuſſiſque externis, domeſticiſque teſtimoniis de S. Leontio habentibus, ab ævo quo floruit, ad noſtrum, continuatâ ſerie deducere feſtinat; quò poſthac omnem ſibi præcluſum aditum otioſi intelligant, ad illos movendos limites, quos unanimis Majorum fides, atque traditio conſecrarunt. Ac primùm ita de S. Leontio:

S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus in oratione
Funebri quam habuit in morte S. Honorati deceſſoris ſui.

Honoratus vacantem inſulam ob nimietatem ſqualloris, &c. Alpino haud

haud longè jugo ſubditam petit, præter ſecreti opportunitatem, Sancti, ac Beatiſſimi in Chriſto Viri Leontij Epiſcopi oblectatus viciniâ, & caritate conſtrictus.

Concilium Arelatenſe III. in cauſa Theodori Epiſ. Forojul. & Fauſti Abbatis Lirinenſis, ſub Ravennio Metropolita Arelatenſi.

Hoc ſibi tantùmmodo vindicabit in Monaſterio Theodorus, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ Leontius Epiſcopus ſibi vindicaverat; id eſt ut Clerici, atque altaris miniſtri à nullo niſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit, ordinentur: Chriſma nonniſi ab ipſo ſperetur, &c. Circa An. CCCCL.

Hæc de Leontio *ſanctæ memoriæ* Epiſcopo ſub V. ſæculi medium: ab inde uſque ad X. notitia ejus paulò obſcurior: intra ea tamen tempora & fortè propiùs ab hoc V. vel ſequenti ſæculo revocari debere exiſtimo Ritualem & Sacramentalem librum Eccleſiæ noſtræ, ſi non tùm editum, ante annos circiter ſeptingentos, ex antiquorum exemplarium fide, in politiori membranâ conſcriptum; in cujus libri Litaniis Sabbato Sancto recitandis hæc leguntur.

S. Hilari. ora pro nobis. S. Martine. or. S. Brici. or. S. Leonti. or. S. Maxime. or. S. Verane. or. &c. Circa An. DCL.

In eam autem anteriorem tempeſtatem ejus libri exarationem ablego, tùm ob characteriſmum qui facilè id inducit; tùm propter uſum illum antiquiſſimum quem preſcribit, ut videlicet, infantes Sabbato Sancto abluti Euchariſtiam percipiant, hac ſolenni rubricâ: *Abſtrahatur infans ter merſus de fonte à patrinis & induatur veſtibus albis. Si Epiſcopus adeſt ſtatim confirmari oportet; & poſtea communicari. Si Epiſcopus autem præſens non fuerit, antequam lactetur, aut aliquid accipiat, communicet eum Sacerdos Corpore & Sanguine Domini*, &c. Quam conſuetudinem me-

ritò antiquiſſimam dixi, quòd à S. Cypriani tempore nota ſit, ut colligitur ex ejus *ſerm. V. de lapſis*, quem refert S. Auguſtinus *Epiſt* XXIII.*ad Bonif.* eam autem non diù poſt hæc tempora viguiſſe exiſtimat Pamelius *in notis ad S. Cyprian.* Ego ejus veſtigia animadverto uſque ad octavum ſæculum: nam Albinus Flaccus Alcuinus Caroli M. præceptor, qui floruit circa illius ſæculi finem *lib. de Divin. Offic. cap. de Sabb. S. Paſchæ*, ubi de Baptiſmo infantium loquitur, hæc habet: *Poſtea veſtitur infans veſtimentis ſuis: ſi vero Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet Chriſmate & poſtea communicare, & ſi Epiſcopus deeſt, communicetur à Presbytero dicente ita: Corpus Domini noſtri*, &c. Abinde communio infantium, ſub ſpecie Dominici Corporis, non diu invaluiſſe videtur, nam Hugo Victorinus *lib. de Sacram. cap.* XX. ait: *Pueris recens natis Sacramentum in Specie Sanguinis eſſe miniſtrandum digito Sacerdotis; quia tales naturaliter ſugere poſſunt.* Quæ concordant cum ordine Baptiſmi Æthiopum, qui extat *Tom.IV.Bibliotb. Patrum.* & uſu Ruthenorum, Græcorumque hodierno, ut videre eſt apud Arcudium *de Sacramen. Ecclеſ. Oriental. lib.*III. *cap.* XL. uſus igitur communicandi ſub ſpecie panis longè antiquior eſt, rectèque *Sacramentale Forojul.* ad illud anterius ævum relatum fuit.

Extat alter Miſſalis liber membraneus M.S. notæ antiquiſſimæ, & facilè ante annum milleſimum, quippe conſcriptus eſt uncialibus literis, & undequaque antiquitatem præfert. In ejus autem faſtis hæc obſervantur.

Circa An. DCCCC. *Kal. Decemb. Chriſanti & Dariæ & Leoncij Epiſcopi.*

Ex eâ autem Sanctorum recenſione & diſpoſitione hîc præmiſsâ, facilè judicatur librum illum alteri Eccleſiæ, quàm Forojulienſi proprium fuiſſe. Quorſum enim peculiaris Patroni & Epiſcopi feſtum, aliorum Martyrum extraneorum memo-

riæ poſtpoſitum fuiſſet? Ex reliquis autem Sanctis Provinciæ Tutelaribus, in hoc Kalendario expreſſis, alicujus Eccleſiæ è Provinciâ fuiſſe mihi perſuaſerim. Porrò ne exiſtiment alij, errorem irrepſiſſe in aſſignatione commemorationis *SS. Chriſanti & Dariæ, ad Kal. Decemb.* quæ *in Martyrol. Rom. ad* VIII. *Kal Novemb.* indicitur, monere juvabit antiquum Adonis Martyrologium præfatam feſtivitatem in primam diem Decembris conſtanter rejicere; quam antiquam diſpoſitionem cùm ſequantur faſti illi, ex eò etiam libri, in quo inſeruntur, vetuſtas magis adſtruitur. Fuit ad me nuper tranſmiſſus ex proximo pago S. Raphaëlis ad litus maris.

Atque poſt iſta, non eſt cur quæratur de S. Leontio quidquam expreſſius, cùm nulla fermè de ipsâ Eccleſiâ erüatur notitia, Antiſtitumque illius aliquot ſparſim obſerventur nomina, vel in actis Conciliorum, vel in exterorum chartulariis, noſtris fermè omninò ſilentibus, uſque ad decimum ſæculum: ſub cujus finem, factum eſt inſtrumentum donationis erga Eccleſiam, à Guillelmo I. Provinciæ Comite, de quo plura alibi. Et in eo hæc de S. Leontio ſpeciatim obſervantur.

Authenticum rubeum S. Forojul. Eccleſiæ. Circa An. DCCCCLXXX.

Riculfus Forojulienſis Epiſcopus in villâ Manuaſcâ ante preſentiam Uvillelmi Provinciæ Comitis, *&c.* rogavit eum, *ut Eccleſiam S. Mariæ, Sanctique Leontij honore dicatam, non pateretur eſſe inhonoratam, namque civitas Forojulienſis, in quâ ipſa Eccleſia eſt, acerbitate Saracenorum deſtructa, atque in ſolitudinem fuit reducta*, &c. *Igitur nunc inclite Comes exhibe Domino munus acceptum, in reddendo S. Mariæ, Sanctoque Leontio prædia ſua juſtè, quæ perdidit injuſtè*, &c. ita autem verba ſequentis donationis. *Ego Uvillelmus Comes, & uxor mea Adelaix, reddo atque concedo S. Mariæ, Sanctoque Leontio*,

& Epiſcopo Riculſo, Succeſſoribuſque ejus in perpetuum, unam medietatem de ipſa civitate Forojulienſi, &c. *Ceſſio in Arelate civitate an.......... pridie Non. Martij regnante Chuonrado Rege Alemanorum*, &c. quæ require apud Hiſtoricos Provinciales.

Inſtrumentum donationis Bertrandi Forojul. Epiſ. Monaſterio Lirinenſi.

MLXXIII. *Ego Bertrandus Forojul. Epiſcopus videns totum mundum urgeri diverſis anguſtiis, & tribulationibus, & Sacerdotale Regnum decidere* (prævalebat tunc Schiſma trium Pontif. Romanorum in Eccleſiâ) *non reperio locum cui me prærogativo amore committam, præter Lerinenſe Cœnobium*, &c. *nec debeo ſeparari à ſocietate illorum qui ibi diù, noctûque in famulatu Dei perſeverant unanimes, quia S. Leontius, & S. Honoratus, ut legimus, fuere amici, & unicordes*, &c.

Antiquum Martyrologium M. S. Cœnobij S. Sabini ab annis D. excuſſum, apud Sauſſayum in appendice Martyrol. Gallicani.

MCLX. *Die* XVI. *Novembris Forojulij in Galliâ Narbonenſi Depoſitio Sancti Leontij Epiſcopi & Confeſſoris.*

Vetuſtiſſimum Martyrologium Forojul. abſque tamen aliquâ anni notâ, item & vetus Directorium, quæ facilè circa hæc tempora exarata creduntur.

MCC. *Kal. Dec. Fori-Julij S. Leontij ejuſdem Civitatis Epiſcopi, & Martyris, qui pro gregis ſalute, Jeſu Chriſti veri Paſtoris exemplo, Martyrij palmam obtinuit.* Ita autem rubricæ veteris Directorij, inſertæ poſtea ad calcem Breviarij primùm typis mandati.

Et primò nota quod in quolibet menſe debet fieri officium de Reliquiis, & pariter de S. Leontio.

Directorium Forojul. alterum in pervetuſta membrana exaratum, ad cujus calcem extant Litaniæ antiquioris notæ, hoc etiam ordine S. Præſulis nomen repræſentat.

S. Silveſter. or. S. Martine. or. S. Honorate. or....... S. Leonti. or.

Liber precum ſivè orationum M. S. in membrana, eleganti miniatâ picturâ adornatus, cujus Kalendarium initio diſpoſitum ita præfert.

Kal. Decemb. Leoncij Ep. MCCL.

Extat penes me, & quantùm conjicio, ad externam Eccleſiam pertinuit: nam præcitata verba nigro charactere deſcripta ſunt, ad diſcrimen aliarum ſolennium feſtivitatum, quæ rubro, ibidem notantur. Porrò tempeſtatis ad quam refertur modò, antiquitatem ad minus exhibet.

Kalendarium Eccleſiæ Forojulienſis.

Kal. Dec. S. Leontij Epiſcopi, & Martyris Circa An. MCCC.

Proceſſionale. Litaniæ M. S.

S. Stephane. or. S. Blaſi. S. Auſili. S. Clemens. S. Cypriane. S. Vincenti. S. Laurenti. S. Leonti, &c.

Et alibi in Proceſſione vigil. Aſcenſionis *S. Leonti. SS. Fabiane, & Sebaſtiane. S. Victor cum Sociis. S. Auſili.*

Ordinatio Jacobi Epiſcopi, & Forojul. Capituli. II. Maij.

Jacobus Divinâ Providentiâ Forojulienſis Epiſcopus, Præpoſitus, Canonici, &c. Statuimus, & ordinamus, quod feſtivitates XII. *Apoſto.* MCCCVIII.

lorum, quatuor Evangeliſtarum, IV. Doctorum Eccleſiæ, nec non B. Leontij hujus Urbis Epiſcopi ſint per omnia duplices, quantùm ad officium, & quod ad diſtributiones.

Statutum Capituli ſub. Bartholomeo
Graſſy Epiſcopo editum.

MCCCXXXVI. *Caput ultimum. Quomodo debeat feſtum S. Leontij celebrari. Item ſtatuimus, & ordinamus quod feſtum B. Leontij in Eccleſiâ Forojul. ſolemniter celebretur, ſicut feſtum duarum capparum, conſuevit in eâdem Eccleſiâ celebrari.*

Sermo in Feſto Tranſlationis Corporis S. Honorati, ex perantiquo Breviario Lirinenſi apud Barral. fuit autem facta Tranſlatio an. MCCCXCI. XIII. kal. Febru.

MCCCXCI. *S. Pater Honoratus hanc inſulam ingreditur Sancti ac Beatiſſimi in Chriſto viri Leontij Epiſcopi oblectatus viciniâ, & caritate conſtrictus.*

Kalendarium M. S. Eccleſiæ Collegiatæ Barjolicenſis
circa an. MCCCC.

MCCCC. *Kal. Decembr. Feſtum S. Leontij Forojulienſis Epiſcopi, & Martyris.*

Breviarium Forojul. nuper à me deprehenſum in majori membrana exaratum, longè antequam typis mandaretur Breviarium Forojul. quod circumfertur, continet ampliſſimas lectiones de S. Leontio, quæ, majorem partem, decurtatæ Breviario impreſſo inſertæ ſunt: ita autem diei feſti titulus.

MCCCCLXXX. *In Natali S. Leontij Ep. Martyris.*

Breviarium autem an. MCCCCLXXX. habet, præter eundem titulum, Hymnos & Antiphonas rithmicas de eodem.

Breviarium S. Victoris Maſſilienſis circa eadem tempora excuſum, in feſto S. Honorati, ejuſdem in Inſulam Lirinenſem adventum, *Beatiſſimi Leontij vicinia* adſcribit: cui concordant Arelatenſis & Reïenſis Eccleſiarum Breviaria, à quorum uerbis recenſendis propter brevitatem abſtineo.

Liber inſcriptus: *Ordo Miſſalis S. Eccleſiæ Forojul.* in quo continentur omnes Miſſæ ſolennes de præcipuis & majoribus feſtivitatibus totius anni, in majori politiori membranâ exſcriptus an. MDVII. ita habet.

In Natali S. Leontij Ep. & Martyris. Introit. *Juſtus non conturbabitur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Lectio deſumitur *ex Epiſt. ad Hebræos: Fratres doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Evangel. *ex commu. Martyr. Si quis venit ad me & non odit*, &c. MDVII.

Sacramentale Forojulienſe editum Avenione an. ita habet in Litaniis. MDXVI.

S. Stephane. S. Line. S. Clemens. S. Laurenti. S. Vincenti. S. Leonti.

Breviarium Aptenſe editum (ſi memoriâ non labor) ſub Joanne Nicolai Epiſcopo, ordinat *Officium S. Leontij Epi. Forojul. & Martyris*, ad diem primam Decembris: *cum omnibus de communi.* Circa An. MDXXXIII.

Cæterùm tot ſunt qui præterito, præſentique ſæculo de S. Leontio honorificè locuti ſunt, ut ab eorum teſtimoniis referendis abſtineam. Quis enim adverſus tantam teſtium nubem inſurgere? quis tàm cohærentem auctoritatum veterum aſſertionem, novis commentariis, ſeu potiùs commentis diſſolvere molietur? ſanè ex congeſtis, duos potiùs hujuſce nominis Præſules ſtatuere, quàm unum elevare, planiùs cenſebunt, qui rem otioſiùs expenderint: quæ etiam fortè nobis in decurſu

expendenda veniet, hæc enim altera cauſarum fuit, cùr in documentis illis, Leontij commendationem præferentibus, recenſendis prolixiores fuerimus.

CAPUT XIV.

Caſſiani locus expenditur, ex quo Genus & Patria S. Leontij elucidantur.

CUM de Patriâ, & Gente Leontij, Scriptores, æquè ac tabulæ noſtræ ſileant, & unicus ſuperſit Caſſiani locus, è quo illud indagare liceat, hunc expendendum propoſui; ratus ex inſtituti ordine fore, ſi antequam ejus res geſtas proſequerer, huic quaſi fundamento reliquam ædificij machinam imponerem.

JOANNES itaque Caſſianus ſuo nomine ſatis celebris; (quemque, ex Scythâ apud omnes reputato, primùm Provinciæ noſtræ aſſeruit, vir exquiſitæ eruditionis Lucas Holſtenius *Cap. III. Præfationis ad Regulas monachor.*) cùm exacto Longo in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ Diaconatu, ſub S. Chriſoſtomo; in patriam redux, Cænobioque apud Maſſiliam præpoſitus Caſtori Aptenſi in Provincia Antiſtiti, & olim Aſceterij cujuſdam in Arelatenſi territorio moderatori, ſuos XII. *de Inſtitutis Cænobiorum* libros nuncupaſſet, pararetque etiam Collationes ſuas priores inſcribere, & inter ea è vivis exceſſiſſet ipſe Caſtor; has X. numero Collationes cuidam Leontio Epiſcopo, & Caſtoris fratri, tanquam eidem *hæreditatis jure* (ut ait) *devolutas* dedicavit. Hunc autem, in illarum Præfatione, ita commendat, *Debitum quod Beatiſſimo Papæ Caſtori*, &c. *Nunc autem quia derelinquens nos Pontifex ſupradictus migravit ad Chriſtum:*

has

has interim decem Collationes ſummorum Patrum, id eſt Anachoretarum quos ille incomparabili ſtudio Sanctitatis, ſimili ſibi juſſerat ſermone conſcribi; vobis potiſſimùm. O Beatiſſime Papa Leonti, & Sancte Frater Helladi credidi conſecrandas. Alter ſiquidem veſtrum, memorato viro & germanitatis affectu, & Sacerdotij dignitate, & quod his majus eſt ſancti ſtudij fervore conjunctus, hæreditario fraternum debitum jure depoſcit.

Ex quibus verbis quatuor elicimus. I. Caſtori Aptæ Juliæ Epiſcopo fuiſſe fratrem. II. cognominatum Leontium. III. Epiſcopum. IV. deniquè eidem, Sanctitatis famâ, haud imparem extitiſſe.

Quod ad primum attinet; Leontium Caſtoris fratrem fuiſſe, evincunt verba illa: *germanitatis affectu conjunctus*, &: *hæreditario fraternum debitum jure depoſcunt*: neque in alium ſenſum detorqueri poſſunt. Qui enim exiſtimant intelligenda eſſe de eâdem dignitate, quâ, uti Caſtor, pollebat Leontius, quæque, horum judicio, hanc germanitatem conſtituere poterat, apertè hallucinantur: cùm Caſſianus hæc expreſsè diſtinguat, & aliam dedicationis ſuæ rationem collocet, quòd eidem *Sacerdotij dignitate conjunctus ſit.*

Sed nunc, vice versâ, negant aliqui, qui ex quâcunque occaſione viam ſibi diſputationis adaperiunt, Leontium illum fuiſſe Epiſcopum, & in re tam liquidâ difficultatem movent. Quòd enim Photius *Cod.* CXCVI. *Bibliothecæ ſuæ* de Caſſiani operibus differens, habeat X. illius priores Collationes, illi Aſceterij moderatori dicatas fuiſſe, qui Caſtorem in illius regimine exceperat, his verbis: *tertium his Libellum adjunctum legimus, quem à Caſtorij Epiſcopi morte inſcripſit Cœnobij illius moderatori, cujus Cœnobij causâ, regulæ illæ prius miſſæ fuerant*: inde ratiocinantur, & inferunt illum, cui decem primas Collationes (has enim Photius ſub Libelli nomine intelligit) inſcripſit Caſſianus, haud fuiſſe Epiſcopum, ſed Abbatem, adeòque

& eum Leontium, Forojulienſem eſſe non potuiſſe, qui tunc erat Pontifex.

Hujus autem argumenti pondus his verbis adaggerat Gueſnaïus *lib.* I. *cap.* XLII. operis *Caſſiani illuſtrati*: *hic locus* (inquit) *curioſos Photij indagatores vehementer torſit*: at hæc morari neminem debent. Nam etiamſi expreſſiſſimè aſſeveraret Photius ſoli Aſceterij rectori nuncupatas fuiſſe Collationes; Caſſiani autem probatiſſima exemplaria contrarium repræſentarent, & Pontifici inſcriptas oſtenderent (ut ſanè explicatiſſimè oſtendunt) nemo huic potiùs, quàm illi fidem dandam inficias iret: rectèque Photius à Caſſiano, non ſecùs à Photio Caſſianus corrigendus eſſet. Sarta tecta tamen, meo judicio, ſubſiſteret opinio Photij, nullo noſtræ præjudicio; ſi videlicet non uni, ſed duobus, quos ſexcenties memorat & diſtinguit Caſſianus, Leontio nempè Pontifici, & Helladio Abbati conſecratum fuiſſe opus aſſereretur: Photium autem de eorum tantùm altero nempè de Helladio Aſceterij moderatore locutum fuiſſe, quòd hujus potiſſimùm intuitû conſcriptas Collationes exiſtimaſſet.

At ne tandiù hariolando ſimus: dicendum profectò, quod res eſt, non conſuluit Photium talia ſcribens Gueſnaïus, qui ſi tanti Scriptoris fuiſſet tantiſper *curioſus indagator*, vidiſſet ipſum aſſeverare diſertis verbis, Collationes Leontio dicatas etiam fuiſſe: ſic enim memorato loco, de Caſſiani opere ſermonem claudit Photius: *Leontio autem tertius hic Libellus dedicatur.* Quæ clariſſima ſunt, & nunquam obſcura eſſe poterunt, niſi illis, qui in ipsâ luce cæcutire amant.

Nunc igitur probandum ſupereſt, eum Caſtoris fratrem: Leontium: Antiſtitem: ſanctimoniâ ſpectabilem, Forojulienſem extitiſſe; quod me præſtaturum autumo, ſi (quod unum in hoc examine morari poſſet) diſcuſſis eorum geſtis qui Leon-

tio noſtro, ævo ſuo fuere cognomines, neutri eorum opus ſuum inſcripſiſſe Caſſianum evincam.

Ac primùm Alardus Gazæus O. B. qui omnium poſtremus, & accuratiùs Caſſianum notis illuſtravit, hoc argumentum proſecutus eſt in commentario *ad* IX. *Collationem*, ubi ait duos eſſe Leontios præter Forojulienſem, nempè Arelatenſem, & Burdegalenſem, eodem ſæculo, eâdemque ſanctitatis famâ commendabiles, qui de palmâ poſſunt invicem contendere. Pro neutro tamen definit, & ſub judice litem relinquit, quanquam ſub finem in eam videtur propendere ſententiam, quâ alteri, quàm Forojulienſi, nuncupationem libens adſcriberet. Illius autem quàm infirma ſit conjectura, vel ex eo libat demonſtrare: ut enim ex Sirmundo non negat *in notis* ad *Apollin. Sidonium*, Leontius Arelatenſis ſedem iniit circa an. CCCCLXII. poſt Raveñium: ergo ex hoc ipſo computo, Leontio illi Arelatenſi opus ſuum dicare non potuit Caſſianus, qui diem obiit Theodoſio & Valentiniano regnantibus, adeoque & annum currentis ſæculi quinquageſimum non attigit. Nec adjicio illud nimis peremptorium, abſolviſſe Caſſianum ſuas Collationes ante annum illius ſæculi trigeſimum; hoc enim vertente, ſcripſit, ſuaſu Leonis, contra Neſtorium, aſſeveratque *abſolutos dudum Collationum libellos*. Ex quibus etiam intelligas ab aliquo tempore, opus illud prodjiſſe, quod etiam aliundè manet exploratiſſimum; nam quod ad X. primas Collationes quæ ad nos ſpectant, emiſſæ ſunt ante an. CCCCXXV. ſeptem quippè intermediæ his poſteriores datæ fuere *ad Honoratum* adhuc Lirini agentem, unde egreſſus eſt an. inſequenti nempe XXVI. ad Arelatenſis Eccleſiæ clavum capeſſendum, uti probabimus. Quî ergo X. priores Collationes ad Leontium Arelatenſem mittere Caſſianus potuit, ſi ille tantum fuit tertius ab Honorato Epiſcopus, nempe poſt Hilarium & Ravennium, adeoque nec Epiſcopatum adeptus ſit, niſi poſt Caſſiani obitum?

Sed ad quid in illis hærendum, quæ tam liquida videntur, ut nullam vel levis dubitationis ſuſpicionem recipiant, quæque, ni curſim ab Alardo Gazæo diſcuſſa fuiſſent, tàm clarè innotuiſſent, ut nequidem inter Leontios illos quibus Caſſianus dicare opera ſua potuerat, Arelatenſem accenſere cogitaſſet.

Sed & multò minùs Leontium Burdegalenſem à Fortunato celebratum in medium proferre fas illi erat, qui longè floruit poſt Arelatenſem, ut patet ex ejus ſubſcriptione in II. Concilio Pariſienſi an. DLIX. hunc itaque non potuit cognoviſſe Caſſianus, tantum abeſt ut ipſum laudaverit.

Collator denique non aliis quam Provinciæ Epiſcopis, & monachis Collationes ſuas, & reliqua opera ad Monaſticen ſpectantia dedicavit, quorum gratiâ, ſed præcipuè aſcetarum, cùm Lirini, tùm in Stoechadibus degentium illa conſcripſiſſe multoties teſtatur: unde etiamſi alter ante iſtum, Leontius ſenior, Burdegalenſis fuerit Antiſtes, ad ipſum ſcripſiſſe Caſſianum, nulla cum colore ſuſpicio eſſe poteſt.

Maneant igitur jura ſua integra Leontio Forojulienſi, quæque eidem ante me vindicaverant viri in Hiſtoria verſatiſſimi Savaro, Sirmondus, Sammarthani, *&c.* Sed ad hæc etiam accedit; & oppidò argumentum roborat, quòd cum nulla omninò in Provinciâ Eccleſia, neque ex convicinis, aliquem Leontium colat, imò & in me recipiam, in nullis earum faſtis ejus nominis Antiſtitem reperiri, qui Caſſiani tempore degerit; nullo manente ſcrupulo, hoc Collatoris encomium Leontio Forojulienſi, tanquam proprium, & *jure hæreditario* devolutum, quòd aſſeram, præpoſterum, meo cogitatu, nemo cenſebit judicium. Quod fortè ſuſpicari fas eſſet, ſi ad inanes conjecturas diverterem, quas alij pro ineluctabilibus argumentis venditant; uti ille qui ſe Caſſiani illuſtratorem nuncupans, & abs ſe omnia S. Victoris documenta explorata diligenter aſſeverans, diſertè teſtatur, Caſſianum Forum-

Julij, Leontij viſendi ergò, divertiſſe, *&c.* quæ ſi aliquâ ſui parte conſtarent, non alia prior adhibenda fuiſſet ratio, ad omnem litem dirimendam: ſed horum omnium fides ſit penes auctorem, & à me pari rejecta animo, quo antedictis inhæreo.

Ex his ſiquidem Leontij Patriam, Parenteſque ſic ſufficienter ſtatuo, ut cùm, ex probatiſſimo Aptenſis Eccleſiæ Legendario habeatur, Caſtori Epiſcopo Patriam fuiſſe Nemauſum, parenteſque nobiliſſimos, parem & Leontio fratri fortunam ſtatuam; huncque nobilem Nemauſenſem aſſeverem.

De tempore autem quo Collationes tranſmiſſæ ſunt, hoc unum adjiciendum puto, quòd ſcilicet: cum prodierint poſt S. Caſtoris exceſſum, qui ex Bonifacij primi reſcripto an. CCCCXIX. *Idib. Jun.* de quo inferiùs, adhuc ſuperſtes memoratur, non niſi ab eo tempore publicæ fieri potuerunt. At & illud præſtitum eſt, ut monui, ante an. CCCCXXVI. quo S. Honoratus Arelatenſium Præſul renuntiatus eſt, quippè cui adhuc Lirinenſe Monaſterium regenti inſcriptæ fuerant aliæ ſeptem Collationes, in quarum Præfatione decem illarum priorum Caſſianus meminit, quas S. Leontio jam nuncupaverat. Itaque intra annum ſæculi illius XX. & XXV. Leontius id literarij, ſimul & religioſi muneris ſuſcepit.

CAPUT XV.

S. Leontij Initia Fori-Julij : Epiſcopatus , & ex illius occaſione S. Honorati in Inſulam Lirinenſem appulſus. Viæ Aureliæ veſtigia quædam obiter illuſtrata.

CUM ad hujus diſſertationis calcem initia Lirinenſis Inſtituti ſeriò inveſtigare propoſuerim , nec tamen ante auſpicatum quintum à Chriſto nato ſæculum , Honoratum ex Orientali peregrinatione reducem fuiſſe, conſequenterque & Lirinenſe Cœnobium circa an. CCCCIX. ab eo fundatum eſſe probandum remaneat. Nil officit quominùs S. Leontius vel ipſomet ſaltem anno, vel altero qui Honorati reditum præceſſit, ad Cathedram Forojulienſem , in demortui S. Quillinij locum , ſublimatus fuiſſe credatur : imo & mox recenſenda illud omninò inducunt.

PORRÒ etſi pauca de Leontij juventâ innotuerint, ex his tamen quæ habemus, facilè colligitur eum Honorato fuiſſe coætaneum : illudque certum eſt, arctam invicem iniiſſe neceſſitudinem, antequam Honòratus in Græciam ſe contuliſſet. Unde communicato , fortè ſimul , concepto illo nobili calcandæ mundanæ gloriæ propoſito , erogatoque in pauperes , vel proximos patrimonio,(quod etiam de Leontio expreſsè teſtatur Legendarium) alter ex Arelatenſi (ut quibuſdam placet) Civitate,ad Patres Ægiptios : alter ex Nemauſenſi Coloniâ,ad Forojulienſem tranſiit ; ubi inſolitum quid vultu præferens, ob magnarum , quibus ornatus erat, virtutum ſplendorem , à ſedente tunc Præſule humaniſſimè ſuſceptus, moxque Clericorum Col-

legio adſcitus eſt : quo in officio ſanctè & laudabiliter ſe gerens, Divino nutû, *ex diſcipulo* (ut canit Eccleſia) *ad Eccleſiæ Principatum*, in defuncti Antiſtitis locum provectus fuit.

Hinc ſolenne cùm ſit, ut quò in editiori loco virtus collocatur, eò magis eniteat; Leontij Sanctitas, quæ inter Clericatus primordia domeſticorum animos pulſaverat, ad Epiſcopalis honoris faſtigium ſublimata, exterorum admirationem concitavit. Galliam, & Italiam hujus fama repleverat, facilèque tunc ad Honoratum, ex Oriente per Thuſciam, in Gallias redeuntem pervenit; qui virum olim ſibi multo neceſſitudidinis vinculo adſtrictum, ſublimi dignitate, præcelſa ob vitæ merita, decoratum, intimâ cordis lætitiâ, primùm ediſcens, non multùm in deliberando fuit, quò ſedem delecturus ulteriùs pergeret. Tunc ſiquidem rectà ad Leontium acceſſiſſe creditur, exhibitiſque utrinque religioſi affectus òfficiis, videns Honoratus famam, etſi magna de Leontio prædicaverat, majora tacuiſſe, noluit ab ejus ſocietate divelli, cui tanto caritatis glutino tenebatur; ſpretiſque propterea eorum omnium ſtudiis, *qui illum occupare fidei ambitione certabant, vacantem inſulam, ob nimietatem ſqualloris, & inacceſſam venenatorum animalium metu* (ut proſequitur S. Hilarius *in oratine funebri* ejuſdem S. Honorati) *Alpino haud longè jugo ſubditam petit, præter ſecreti opportunitatem Sancti ac Beatiſſimi in Chriſto viri Leontij Epiſcopi oblectatus viciniâ, & caritate conſtrictus, plurimis à tam novo auſu retrahere illum conantibus.* Hucuſque Hilarius.

At utrùm Honoratus priùs in proximam Forojulij regionem (cuivulgò nomen, *le Deſert de Caporoſſe*) conceſſerit, neque Hilarij, neque aliorum Scriptorum probat auctoritas. Lirinenſium tamen, æquè ac Forojulienſium hæc eſt conſtans, germanaque à Patribus ad nos derivata traditio, cui adſtipulantur vetus Sacellum SS. Honorati, & Capraſij memoriæ adſcriptum, cellulæque illæ paſſim in ſecretis eremi

conſpicuæ. Sed viris piis ſuadet illud præcipuè mirabilis illa, S. Honorati huc uſque cellula nuncupata, in rupe exciſa; ad quam etiamſi, non niſi reptando, nec abſque aliquo diſcrimine (ob præcipitia quæ rupem hinc indè ambiunt) deſcendere liceat, ſic populorum illuc ex vicinis regionibus venerationis ergò, concurrentium peregrinationibus coruſcat; ut cotidiè fide periculum ſuperante, fidemque remuneratione conſequente, par non ſit Lirinenſium, noſtrorumque traditioni hâc in parte nos refragari, quâ (ut explicitè teſtatur Lirinenſis Chronologus) hùc primùm Honoratum, Socioſque divertiſſe, diviſiſque cellulis Ægiptios Patres in Gallias tranſtuliſſe profitentur. Sed cur, inquies, tam opportunum optato ſeceſſui habitaculum commutaſſent, ut ad vicinam Inſulam transfretarent? hæc quidem cauſa eſſe potuit; quòd nimirum Forojulienſium, aliorumque non longè ab hinc, ex itineris occaſione, divertentium, nimio acceſſu interturbarentur: namque ad radices montis *Caporoſſe*, ſita erat via Aurelia, quæ cum eſſet communis è Galliis & Hiſpaniâ, in Italiam: viciſſimque ex eâ, ad haſce partes tranſitus, frequentiori viatorum aditui, Patrum habitatio patebat.

Sane haud abſimili de causâ magnus ille Joannes Anachorita, Bubalus à vitæ ſolitariæ ſtudio nuncupatus, dilectam eremum deſeruiſſe teſtatur apud Caſſian, *Collat* XIX. *cap.* V. cujus hæc ſunt verba aurea: *Quandiù raritas eorum qui in eremo tunc temporis morabantur, libertatem nobis largiendo, diffuſiore ſolitudinis vaſtitate blandita eſt, quandiu majoribus remoti ſecretis frequentiſſimè ad cœleſtes illos rapiebamur exceſſus, nec tanta viſitantium fratrum irruens multitudo, parandæ humanitatis neceſſitate ſenſus noſtros ingentium curarum diſtentionibus aggravabat, ſolitudinis planè tranquilla ſecreta & illam converſationem Angelicæ beatitudini comparandam inceſſabili deſiderio, ac toto animi ardore ſectatus ſum.* Hæc Joannes in ſui ex eremo regreſſus excuſationem, cujus ſane potiorem etiam

etiam cauſam Honorato fuiſſe facilè ex hujus viæ inopportuno ſitu quiſque judicabit; licet prima hæc ſedes non uſquequaque derelicta fuerit, cum præcipuè Lirinus nimis frequentari cœpit. Nam vel propter Parentis incolatus reverentiam, vel ad alia vitæ commoda, hæc habitatio identidem Lirinenſes non illicere non poterat, quod etiam ab hodiernâ eorum traditione non abhorret.

QUÒD autem hîc interjaceret via Aurelia, ſubindicaverat mihi nomen ſemitæ illius proximæ, quæ ducit ad Antipolitanam Civitatem, *Aureliæ* hactenus, & à popularibus noſtris: *Lou Camin d'Aurelle*, nuncupatæ. Sed perſuaſit penitus, qui ibidem poſitus fuerat nobilis lapis Milliarius, qui à multis annis ab baſi cui inhærebat ſejunctus, & mole ſuâ in profundum deductus, cùm curis noſtris erutus, & quâ parte inſcriptionem complectebatur inverſus fuiſſet, hæc viſus eſt adhuc repræſentare.

....

....

TRIBUNITIA
POTESTATE XX.
VIIII.

QUÆ pura putaque eſt eſt diſtantia ab inde, ad Urbem intercedens; milliaria enim non minùs novem numerautur, ſeu duæ ſupra milliarium leucæ.

ATQUE hæc paulo fuſiùs hîc eventilare non alienum duxi, ut vel ex iis etiam liqueat, quàm laborent inaniter, qui ab Antipoli viam Aureliam, per Civitatem Graſſenſem ad Forum-Julij circumflectunt, circuitu fictitio prorſus & inutili: breviori namque itinere ab Antipoli per oram maris, radices Montis Caporoſſe, atque Sterelli, (à quo non procul viſitur etiam

Milliarius lapis à V. C. Nicolao Peireſkio etiam obſervatus, de quo alibi) ad Forum-Julij tendebatur. Unde opinio illa penitus eſt abjicienda, qua manſio *ad Horrea* in Antonini Itinerario inter Antipolim & Forum-Julij collocata, Graſſæ conſtituitur: quin potius aſſignanda eſſet in vico de la Napoule ad oram maritimam, (quod cenſet Nicolaus Sanſon aliique) cujus quidem oppiduli planicies ampliſſima & feraciſſima Romana Horrea (ſi inde denominatio) omni frugum genere fecundare poterat.

SED utcunque ſe habeat res, ſeu Honoratus in Continentem primùm, ſeu in Inſulam conceſſerit, quòd tamen, aſſertore S. Hilario, illius appulſus, *Leontij viciniæ* adſcriptus ſit, maximæ S. Antiſtitis gloriæ verti debet; cujus utpote fama tantum in ditionem hanc, & vocarit, & conſtituerit inquilinum. Unde cùm illa Leontij juri ſubeſſet, fundatum ibi Aſceterium, ſub ejus etiam moderamine (ut vigebat his temporibus Hierarchicæ diſciplinæ obſervantia, quâ aut ipſi Antiſtites, aut cum ipſorum conſcientiâ, monachis ſuis regulas Abbates præſcribebant) floruiſſe dici poteſt; cum Honorato Inſtitutori in jaciendis illius fundamentis pro officij ratione ſuppar extiterit. Adeoque nil S. Pontificem commendationis illius fugere debet, quæ tanta Honorato Parenti conceſſit, *quod anguſta illa, planaque Lirinus* (ut ait Cæſarius) *tam innumerabiles in Cœlum montes miſerit*; quod alter illius Parens & Epiſcopus Leontius fuerit.

NAM quod ad exterius Aſceterij regimen ſpectat, liquet ex Concilio Arelatenſi tertio, Leontium ex Diœceſanis juribus vindicaſſe ſibi quatuor, nempè: *primò ut Clerici ſeu altaris miniſtri non niſi ab ipſo ordinarentur.* II. *ut Chriſma nonniſi ab ipſo ſperaretur.* III. *Neophiti ab ipſo confirmarentur.* IV. *peregrini Clerici abſque illius præcepto in communionem non reciperentur.* Hoc autem aſſerto ſibi jure (quod etiam ex Legendariis Eccleſiarum in vita

S. Honorati habetur) Leontius ipſum Abbatem inter Clericos adſcivit , reluctantique Sacerdotij honorem contulit, quod his verbis teſtatur Hilarius : *Hic primùm diù evitans illigatur Clericatus Officio , & qui venire ad dignitatem detrectaverat , ad ipſum dignitas venit.* Hæc Leontius circa externum Lirinenſium moderamen, at domeſticum omne permiſit Abbati : unde S. Antiſtes primus Pontificij juris in Monachos limites contraxiſſe viſus eſt, multaque Honorato indulſiſſe, quæ nimia ſucceſſori Epiſcopo Theodoro, aliiſque apparuerant ; ſed quaſi ſuperno Spiritu dictata., à conſequentibus Synodis, ob Leontij reverentiam, firma rataque habita ſunt : quam etiam ad normam omnia mediæ ætatis Monaſtica privilegia confirmata eſſe pluribus oſtendetur inferiùs.

CAPUT XVI.

Leontij , & Honorati illibata fides commendatur : præpoſteri vitæ illorum Scriptoris mala fides detegitur.

CHRISTIANA quidem pietate florentiſſimum, ſed doctrinæ varietate turbatiſſimum erat ſæculum illud quo Leontius Eccleſiam rexit. Tunc enim Pelagiana hæreſis virus ſuum propagaverat , & hoc ſaltèm in Provinciâ ſiccato, prodiit ex eâdem ſectâ, ſed ſub aliâ larvâ, Semipelagianorum error , qui multos viros commendabiles ſic traxit in lapſum, ut etiam Vincentium Lirinenſem, & S. Hilarium Arelatenſem, non prorsùs ab ejus fuligine liberos dicere viſum ſit eruditis Scriptoribus. Certè hoc tempore Maſſilia, & Forum-Julij (illîc Caſſianus, hîc Lirinenſes aderant) palæſtra erant

nedum Provinciæ, ſed & Galliarum celeberrima ubi, clariſſima ſæculi illius ingenia, doctrinæ inquiſitione multùm exercitata, Orbem univerſum propriâ famâ repleverant. Maſſiliæ Caſſianus cum ſuis: Fori-Julij Lirinenſes: inter quos præter Honoratum, Caprafius, Hilarius, Maximus, Valerianus, Eucherius, Vincentius, Fauſtus, Lupus, *&c.* (quorum ſingulorum nomen omni præconio ſuperius) ſcientiæ, & ſanctitudinis laude commendabiles ſedente S. Leontio, Lirini florebant. Igitur cœtum illum ſanctiſſimum, extùſque, & intùs tantis rectoribus gubernatum peregrimis opinionibus contaminatum eſſe quis crederet?

Propinari quidem potuit, & verè propinatum fuit à Maſſilienſibus infelix poculum, dùm ſeptem Collationes intermedias Lirinenſibus Caſſianus inſcripſit, inter quas extat decima tertia virulentum undequaque liquorem ſtillans; ſed probabilius eſt neminem prorſus dementaſſe, dùm moderaretur Honoratus, vir illibatæ fidei, ab omni ætate commendatus; cui proindè familiare ſibi, ſuiſque aſſiduè effatum illud Apoſtolicum (adverſus iſtud, aliudque omne Pelagiani dogmatis venenum alexipharmacum) ingerere: *Quid enim habes quod non accepiſti, aut ſi accepiſti cur gloriaris?* &c. quo certè validius jaculum in hoſtes Divinæ gratiæ non reperit S. Auguſtinus, nec frequentiùs inſumpſit, ut videre eſt *in lib. de prædeſtinat. SS.* & *lib.* IV. *contra duas Epiſt Pelag. cap.* IX. ubi, adductâ etiam Cypriani in hànc ſententiam auctoritate, mirè philoſophatur. Nil ergo S. Congregationi metuendum dùm vir tàm Catholicus, tàm Catholicè Apoſtoli, & SS. Patrum definitionibus concinens eidem præeſſet; ſuperiuſque Eccleſiæ gubernaculum teneret Leontius, quem verbo, & opere potentem, errori, & hæreſi pro tempore exortis perpetuum indixiſſe bellum probata perhibent teſtimonia. Unde & vetus Eccleſiæ Legendadarium hùc omnes iſtiuslaudes congerit, ejuſque in verbi mi-

niſterio virtutem unicè extollit: Nunc enim *Germanas gentes idolorum ſana ſequentes*, ſermonis ſui efficaciâ, *Chriſti jugo ſubdidiſſe*: nunc ejuſdem concionibus *agrum Chriſti fructificaſſe*: mox *doctrinâ ſuâ fidem Chriſti roborare ſemper* ſtuduiſſe, *&c.* frequenter inculcat.

Imò, ut ſolitum eſt fabuloſa, & apochrypha, germana plerunque complecti, & veris inniti: haud dubiè è genuinis his, vel aliis documentis excerpſit auctor vitæ S. Honorati, quæ tàm exquiſitis verbis de Leontij prædicatione celebrat; alicubi enim illius inaugurationem recenſens, ait: *illi penitus reſiſtenti fuit injunctum divinitus acquieſcere precibus populorum; qui quidem adiens Pontificis dignitatem, Manichæorum errores penitùs extirpavit, Catholicos roborando.* Et poſt aliquot capita. Cùm ad Agathon aliquando perveniſſet Honoratus, incidiſſetque in quoſdem Manichæos, dixerunt illi ad invicem: *hic eſt Leontij ſocius, qui deſtruit noſtram ſectam;* rurſuſque: *Si hic evaſerit, erit Leontio pejor, & conſummabit penitus reliquias noſtræ ſectæ.*

Sed quando de Auctore illo occurrit mentio, variam ejus fortunam, operamque referre præſtat, quò, genio hominis cognito, in quibus hiſtoricarum ejus rapſodiarum fides perſtare, in quibus ſperni debeat ſit manifeſtum. Is itaque qui in ſæculo audierat *Raymundus Feraud* Poëta vernaculus ævi ſui haud inceleber, ob idque, in Mariæ Hungaricæ Caroli II. Andegavenſis Neapolitani Regis, & Provinciæ Comitis uxoris, famulatum adſcitus, ne ſegnis, & inglorius in aulâ remaneret, vitæ acta S. Honorati nobilibus quibudam circunſtantiis, eventibuſque inſignita, facilè in heroicas fabulas, rithmico opere confinxit: & licentiâ pluſquam poëticâ, & genus, & proavos, & patriam, geſtaque B. Præſulis intervertens, id præcipuè in gratiam Reginæ, Stephani Hungariæ Regis filiæ, quam eò magis demereri cupiebat, præſtitit, ut Honoratum, ſub Andronici larvâ ex eodem ſtemmate oriundum

prodiderit. Avidè id operis ab aulicis ſuſceptum, ut ſolent imperiti pluris nugas, quàm veritatem facere: dùmque omnium manibus teritur, illique in theatro plauſus publicus decernitur, in domibus pueris ediſcendus traditur, altè retinentur fabulæ, & ſincera vitæ acta rejiciuntur, quæ ſic in pulvere conſepulta, ut otioſiùs à blattis corroderentur, mox intercidunt. Hæc ſanè viderat, perlegeratque ille nugivenditor, unde enim commentum ſuum tot genuinis geſtis infarſiſſet? Sed fortè per ſummum nefas pretioſiſſimas illas merces omninò ſuſtulit, quò mangonium ſuum magis eſſet in pretio. At quidquid de hac fraude alij ſenſerint, illud ſaltem habeo pro comperto vitam illam, quæ tribus libris circumfertur, ex *Feraudi* centonibus conſutam fuiſſe.

Sed etſi grande ejus, aliorumque qui his operam impenderunt piaculum, levior in eo jactura, quod præcipua Lirinenſis Fundatoris acta in aureo illo Hilarij Arelatenſis ſermone Panegyrico, tàm ſincerè quàm ſplendidè conſignata ſunt. Graviſſima ſiquidem omnium planè fuit, cum nugator ille populari aurâ, quam ex primo conatu captaverat, intumeſcens, ſcopum infeliciter proſequendo, SS. Torpetis, Leontij, Armentarij, aliorumque (quorum aut nulla, aut tenuis extat aliunde notitia) Diœceſeos, aut Provinciæ Tutelarium vitas, auſus eſt ſtylo ſuo rurſus contingere: nam & illæ nihilo ſeciùs depravatæ, & interpolatæ legentis ſtomachum ad nauſeam provocant niſi (ut ait Baronius, quem quiſquiliæ illæ non latuerant) ſit *is planè ferreus, & ignorantiæ rubigine undique obductus.* Penes me ſunt S. Armentarij vitæ M. S. Codices, aliique inciderant in manus P. L. Dufour, qui Leontij res geſtas complectebantur, ut teſtatur in ſuo Leontio ſæpiùs, quorum quamvis auctorem ipſe non indicet, ſe ipſe ſatis prodit ex his quæ ibi adducuntur, in nullo fermè, à vitæ S. Honorati narratione, diſcrepantia.

Hæc autem omnia opuſcula in eadem officina procuſa, ex Canonum præſcripto, notanterque LXIII. Concilij Quini-Sexti igni tradenda, & ſub anathematis diſtrictione legi prohibita, (quid in auctorem non ſtatutum, ſi talia Catholicos auſos eſſe perſuaſum Patribus, qui infideles ſolùm tùm inſequebantur?) Hæc, inquam, opera, quæ duram olìm artifici pœnam, præmium tùm meruere. Nam pingui canone, & Prioratu ex Monaſterij Lirinenſis appendicibus, Regiâ liberalitate muneratus, non multo pòſt huic Sodalitio nomen dedit, in quo ſub *Porcarij* prænomine diem obiiſſe aſſeverat, ex plurium teſtimonio, Jo. Noſtradamus in *vitis Poëtar. Provincial.* Queis aſſentiri ſuadet etiam inſignis Codex membraneus politior, aut autographus, aut ex autographo deſcriptus an. MCCCXLIII. vitam S. Honorati, Martyriique S. Porcarij genuina acta unà complectens, prout extant fuſiora apud Vinc. Barralem *in Chronol. Lirin.* quæ, religioſo in Patronum affectu, eidem vitæ conjunxiſſe Porcarium non abnuerem.

Sed dum M. S. Codicem tam bonæ notæ laudare audis, nunquid animum cogitatiò pulſat, in eodem etiam, germana S. Honorati vitæ acta conſignata eſſe? Ut quid enim tantum chartæ, atque operæ perditum fuiſſet? Et hoc ego exiſtimaveram, cùm apud Calidianum, vulgo *Calian*, cujus oppidi Sacerdotium ad Lirinenſes olim pertinuerat, incidi in Libellum illum exquiſito opere compactum, cum hac ſpecioſâ inſcriptione: *De vitâ, & geſtis S. Honorati*, & ad calcem: *hic liber eſt Prioratus .... datus Prioratui, & non Priori, reſervato tamen uſu Priori.* Vides hìc rem ſummi pretij venditari, quippe quæ inter ipſa Sacerdotij bona immobilia conſcribebatur: at illa præter memoratam Porcarij agonis narrationem, hanc ipſam S. Honorati vitam ſpuriam repræſentat. Unde neminem inficias iturum putamus B. viri

geſtorum informent illam notitiam, ex cœnoſis poëticorum conceptuum *Feraudi*, ſeu *Porcarij* fluentis exhauſtam fuiſſe, pedeſtrique ſtylo Latinam factam, ſic ad poſteros derivaſſe : adeòque ſemper Poëtæ purus putus, non fœtus, ſed abortus cenſeri debet; qui beatiori illo otio, quo in Monaſterio potiebatur, ad illas fabulas conſarcinandas abutens, cùm totum ſecùs in illis ad ſinceræ fidei normam reducendis debuiſſet impendere, plus fortè garrulitate, & vaniloquentiâ Lirinenſium, noſtrûmque, SS. Tutelaribus nocumento, quàm ad exploranda acta primigenia, componendaque, labores, vigiliæ, impenſæque omnimodæ juvamini eſſe poterunt. Interim tamen in quo cum aliis ſinceris documentis concordat (ut certè in iſtis præſtat *Feraudus*) audiri poteſt : in reliquis aut ejus fides omninò reprobanda, aut illi ſummâ cautelâ præſtanda eſt.

HÆC in Libelli, ejuſque veri artificis cenſuram : cætera autem omnia proferre non piguit, tanquam firmiſſima argumenta, quæ Leontij invictum in debellandis errorum monſtris animum, & operam prodant; quamque ultrò pro officij debito in ſuos etiam Lirinenſes impendiſſe, ſi ad eos aliqua pravi dogmatis ſcintilla tùm evolaſſet, cuncta ſuadent.

CAPUT XVII.

Cæleſtini, & Bonifacij P P. ad Leontium Epiſtolæ; earum cauſa, & fidei Lirinenſium defenſio.

APOSTOLICA illa ſolicitudo Leontij, quæ ab erroris ſuſpicione ſuos Lirinenſes, pro tunc ſaltem, liberos reddit, ipſi etiam clypeum præparat adverſus tela quibus impeti poſſet illius fama, *ex Epiſtolâ illâ I. S. Cæleſtini Papæ*, Leontio noſtro, & aliis Galliarum Epiſcopis inſcriptâ, quâ eorum ſilentium ſubaccuſat, in causâ quorundam Sacerdotum nova molientium. Sic autem res ſe habebat.

CUM ex occaſione Commentariorum quos adverſus Pelagianos ediderat S. Auguſtinus, multæ Galliarum, ſed Provinciæ in-primis Eccleſiæ vehementi perturbatione commotæ eſſent, Sacerdotes quidam, quorum erant ſigniferi Maſſilienſes, tot jaculis profligatæ hæreſeos fuligine adhuc tincti, conſepultum errorem è ſuggeſtû ſuſcitare annitebantur. Hinc prævalente eorum in Epiſcopos audaciâ, quam fortè plebeïus favor adaugebat, eò periculi adductam rem viderunt Proſper, & Hilarius acerrimi, laudatiſſimique Auguſtinianæ doctrinæ vindices, ut quàmcitiſſimè Cœleſtinum, rem omnem patefacturi, convenerint, ne iterum caput, fortè quam anteà infeliciùs, Pelagiana hæreſis extolleret. Quo nuntio Pontifex pacis Eccleſiæ ſtudioſiſſimus æmulator, eruditam illam *Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Sillucio, aliiſque per Gallias conſtitutis Epiſcopis* conſcribit Epiſtolam, quâ, rurſus commendatâ S. Auguſtini memoriâ, atque doctrinâ, repreſsâ inferio-

rum Sacerdotum petulanti loquacitate, incitatiſque vehementer ad ſanioris doctrinæ prædicationem Epiſcopis, damnum imminens feliciter amolitur. Nobile Sedis Apoſtolicæ, indeficientiſque illius fidei monimentum: quod proinde Vincentius Lirinenſis (quanquam, ex quorundam ſententiâ, in adverſum ſenſum) *in Commonit. cap. ultimo*, adverſus omnes hæreſes pro tempore exurgentes opponi poſſe docet, Proſperque, & Photius multùm commendavere.

Non eſt igitur, cur exiſtâ Epiſtolâ de culpabili illa taciturnitate ſubargui poſſit Leontius, etſi enim memoratis ſciſſuris vexatam illius Eccleſiam, tùm ex enciclycâ Cœleſtini Leontio nominatim inſcriptâ, tùm ex viciniæ Maſſilienſium importuna tunc opportunitate ſuſpicio eſſet, tumultus illos è veſtigio compeſcuiſſe Pontificem cenſere compellunt, quæ de illius adverſus hæreticos exantlatis laboribus, ejuſque in hâc re commendatione, ſuprà delibavimus.

Quod ſi Præſulum hâc in Epiſtolâ memoratorum, neque probata ſanctitas, neque alia idonea teſtimonia ab hâc taciturnitatis culpâ liberent, poſſunt ſaltem omnes, à qualicumque hæreſeos notâ immunes aſſeri, quod tunc transmarinæ Auguſtini voces, & defenſiones, licet impensè commendatæ, nondum tamen in Oracula conſurrexiſſent; unde habere potuit, ut verè habuit, Semipelagianorum ſecta defenſores, at tùm non fecit hæreticos. Quantò plus igitur excuſandi nunc venirent ipſi Lirinenſes, ſi, decurrente eo ſæculo, nondum conclamatæ doctrinæ tutelam, citra fraudem, ſuſcepiſſent? Eò magis ſanè, quòd ipſe S. Auguſtinus, & S. Proſper hos non modò excuſatione, ſed & laude digniſſimos illos, quiqui fuerint, ejus doctrinæ adverſantes pronuntiaverint, *nec ſemel claros, egregios, & omnium virtutum ſtudioſos* viros, & quod his potius eſt, *Catholicos, & ſanctiſſimos fratres, & ſui dilectores* prædicaverint, in ipſis operibus, in quibus aperto marte eorum

errores impetunt. Præpoſterè igitur, ne dicam impudenter, velut hæretici infamarentur, quos ævo ſuo Catholicos, Catholici venerati ſunt, pravâ quantumlibet fide imbutos; quòd ipſa, Eccleſiæ judicio, nondum proſcripta, non magis ipſorum ſanctitati, & ὀρθοδοξίᾳ, quàm rebaptiſantium opinio Cypriani fidei, notæque gloriæ officere poſſet, cùm ex iſtis etiam plures Eccleſia Catholica ſuis Faſtis adſcripſerit.

Facessant igitur omnes in Provinciales querelæ, quos nuper, majorinè injuriâ, an inſcitiâ, incertum eſt, maledictis laceſſitos audivimns, quòd Semipelagianæ ſectæ auctores, fautoreſque ſemper extiterint; quaſi ipſis, vel Auguſtino teſte, in facto S. Cypriani *lib. III. de Baptiſ. contra Donatiſtas*, in ſenſu ſuo abundare fas non fuiſſet: *in iis quæſtionibus quæ nondum eliquatiſſimâ perſpectione diſcuſſæ erant*; quales ſanè erant, quæ tunc agitabantur, queis etiam non Provinciales ſed ipſi S. Auguſtini conterranei, Adrumetini monachi, alioqui laudatiſſimi, & nomen, & celebritatem primi conciliaverant. Sanè ut teſtatur S. Doctor *lib. de prædeſtinatione SS.* plurium jam intelligentiam noſtrates, auctore Chriſto, adepti fuerant; ſeu, ut ipſe loquitur: *pervenerant ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ faterentur.* (Quod Caſſianus initio negabat, qui ortum quendam bonæ voluntatis in nobis, aliaque ſimilia totâ *Collatione decimatertiâ* inculcaverat:) *retenta ergo* (ut perſoquitur S. Auguſtinus) *iſta, in quæ pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt.* Hunc iam progreſſum ſanè præcipuum noſtri fecerant: ad reliqua tunc uſquequaque non pervenerunt, quouſque inſonante Sedis Apoſtolicæ buccinâ, ad cujus leviores ſuſurros intenti ſemper Majores fuerunt, Cæſarius Arelatenſis Metropolita avitæ religionis æmulus, & Auguſtini cultor ſtudioſus, Cœnobij olim Lirinenſis lumen, nunc Gallicanæ Eccleſiæ columen, adjunctis ſibi Provinciæ ſuæ ſpectandis Præſulibus, quorum primarij ex eodem Lirinenſium ſodalitio

L 2

ad ſacrum Epiſcopatus faſtigium ſublimati fuerant, rem omnem egregiè confecit, in Arauſicanâ II. Synodo, cujus auctoritate S. Hipponenſis Antiſtitis de Divinâ gratiâ propoſitiones in fidei Canones, & theoremata conflatæ ſunt. Igitur etſi Lirinenſes huic quandoque Semipelagianorum doctrinæ, bonâ fide aurem præbuiſſe dederimus; quòd contagione patefactâ, omnes illius reliquias contriverint, infauſtaſque radices evulſerint, aut planè non cecidiſſe, aut caſus compendium feciſſe, præconio in omnem ætatem propagando, laudari debeant.

Quod autem ad Bonifacij primi Epiſtolam ſpectat, *ad Epiſcopos, per Gallias, & ſeptem Provincias conſtitutos*, in quâ etiam Leontius expreſsè deſignatur; illius ſcribendæ hæc fuerat occaſio. Maximus Valentinæ civitatis Epiſcopus multorum criminum, ſæpiùs apud Sedem Apoſtolicam, à Clericis ſuis accuſatus fuerat, ſed ejus cauſa, ex præſcripto Canonum, ad Provincialem cognitionem cùm fuiſſet remiſſa, hicque judicium ſubterfugiens, neutiquam à pravis actibus abſtineret, iterum Clerus civitatis, illius condemnationem apud Romanum Pontificem Bonifacium proſequitur. Atque iſte, qui ſua cuique jura ſervanda eſſe, etiam ex deceſſorum ſuorum exemplo, apprimè erat edoctus, renuit de cauſâ cognoſcere, quam examinandam, judicandamque ad Provinciæ Epiſcopos remiſit. Quæ ſanè ad uſum Eccleſiæ, ſed in-primis Gallicanæ veterem ſunt notanda (ait V.Cl.D.Delalande *in ſuis ad hanc Epiſt. animadver. in ſupplemen Concilior.*) quo ordo ille vigebat ut Comprovincialium Antiſtitum in Comprovincialis cauſâ judicium conſtanter Sedis Apoſtolicæ ſententiam præcederet. *Data Epiſt. ſub die id. Jun. Monacio V. C. Coſ.* cujus Conſulatus cum cadat in an. CCCCXIX. eodem anno, quo erat indictum à Bonifacio Concilium, Valentiæ forſitan celebratum eſſe, & illi interfuiſſe, ſententiamque cum cæteris Epiſcopis pronunciaſſe Leontium

noſtrum arbitramur. Unde & de eâ ſuperiùs agere ratio temporis poſtulaſſet , ſi hîc Annales , non autem Hiſtoricam Diſſertationem conſcriberemus.

CAPUT XVIII.

S. Leontij Apoſtolatus nobilia Quadam veſtigia deprehenſa.

GALLIARUM Epiſcopis celebrioribus ſolenne fuit , paſtoritiæ caritatis officiis primùm in gregem impenſis, exterarum etiam Gentium, verbi, & prædicationis miniſterio converſionem aggredi. Quod ſanè ab Apoſtolicis temporibus exemplum mutuati ſunt: nam ut diſertus ſuffragator eſt Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib.* III. *cap.* XXXVII. *Apoſtolorum diſcipuli relictâ patriâ peregrè profecti munus Evangeliſtarum obiere , iis qui fidei ſermonem nondum audiviſſent. Hique poſtquam in remotis quibuſdam , ac barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant , alioſque paſtores conſtituerant , eo contenti , ad alias gentes ac regiones , comitante Dei gratiâ , & virtute properabant.* Sic olim S. Remigius inclitam Francorum Gentem , Apoſtolico vigore , ad nuper baptiſati abs ſe Regis exemplum, impellere non infelicitèr inſudavit ; quod id ipſum antea , perlucidum Cleri Gallicani Sydus S. Martinus erga Belgas egregiè executus fuerat. Itâ S. Eligius Noviodunenſis, non in Belgarum modò , ſed etiam Friſonum,Suevorumque remotas regiones fidei lumen invexit. Quorum & laborum ſtudioſus æmulator S. Lambertus Tungrenſis è Sede aliquando pulſus , Taxandrorum populos ab ethnicis ſuperſtitionibus ad Chriſti ſincerum cultum revocavit. Unde & meritò tanti Præſules illarum Gentium Apoſtoli

in hanc uſque diem cognominati, duplicato honore commendabiles exurgunt, qui tam immenſo fœnore concredita talenta multiplicarunt. Igitur & nos qui tàm in conquirendis undequaque germanis Leontij geſtis, quàm in fictitiis proſcribendis operam locavimus, quædam Apoſtolicæ illius ſolicitudinis indicia erui poſſe ſuſpicati eramus, ex illis verſiculis dietìm decantari ad Laudes Officij aſſuetis, quorum hic tenor eſt: *Germanas Gentes idolorum fana ſequentes, tu Chriſti fonti reddis ſermone Leonti*, &c. At hærebamus in primâ voce, quam ad accolas, affineſque plebes quadantenus accomodari, poſſe conjiciebamus; eo planè ſenſu, quo apud Livium, Strabonem vel utrumque legiſſe meminimus Alemannos Francis affines, & moribus non diſſimiles, Germanos, quaſi illorum fratres dictos fuiſſe. Quâ quidem vocabuli illius interpretatione in proximis Foro-Julij ditionibus Leontij prædicationem duntaxat inſonuiſſe potior videbatur opinandi ratio.

SED dubitationem omnem ſubmovet aliud ex ſerie Antiphonarum, & Reſponſoriorum, ut vocant, vetuſtioris Breviarij petitum documentum, quod & prius elucidat, & ex utroque, facto fides omnis præſtari poſſe videtur. Eſt autem lectionis tertiæ primi Nocturni Reſponſorium ſic præferens: *Jam ſparſo verbi ſemine per partes Forojulicas, ſub caritatis tegmine, terras petit Germanicas, per fraudes diabolicas deceptis ſit medela, morbidis ſit curatio, mortuis ſuſcitatio, cunctis via ſalutis.* Quibus quidem verbis Leontij ad Germanicas, ſeu Germanas terras migratio, & Apoſtolatus, & hic ſignis, & prodigiis coruſcans explicatiſſimè proditur, ſervato utique caritatis ordine, & Apoſtolicâ præceptione, quâ non antea filiorum panem exteris dedit, quàm ipſum fidei domeſticis diſperſiſſet, ſementemque illam, ad Evangelicam menſuram aliquando recolligendam *per partes Forojulicas* diſſeminaſſet.

HÆC ex vetuſto Breviario noſtro, cujus lectiones om-

nes de SS. Patronis, & Tutelaribus recenſens, elucidans, debitoque ordini & nitori reſtituens, Illuſtriſſimus Antiſtes Antonius Ben. de Clermont, hos tamen antiquos de Leontio Hymnos, & verſiculos intactos manere juſſit, *plurium* (ut in Præfatione libelli ad id editi, ad Clerum teſtatur) *inſignium Eccleſiarum in eo religionem imitari volens, quæ hujuſcemodi rithmica carmina, tanquam ſuaviſſima, ſimul ac ſinceriſſima antiquæ fidelium pietatis, hiſtoricæque veritatis monumenta veneranda reputavere.* Cur igitur ego qui illud etiam conſilij valdè probaveram, hæc in ſententiæ de Leontij Apoſtolatu præſidium in medium proferre detrectaſſem, cùm maximè nullum B. Præſulis facinus iſto explicatiùs in Tabulariis noſtris exiſtat.

Etenim de eodem fidem inſuper faciunt lectiones aliæ in vetuſtiori MS. Legendario pergameno à me nuper eruderato, in quo hæc leguntur: *Nam cum ad Epiſcopatus Sedem ordinatus eſt, vice Apoſtolicâ Legatus Germanicis à Francorum gente deſtinatus eſt, illud Pſalmographi in ſe implevit teſtimonium, quod de prædicatoribus S. Evangelij dictum eſt: euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*, &c. In iſtis quippe lectionibus octo Evangelicæ beatitudines à Leontio adimpletæ perhibentur. Sed quæ nunc in rem noſtram facit ad Germanicas Gentes miſſio eſt, quæ etiam paulò clariùs hîc videtur expreſſa, dum hanc Apoſtolicâ delegatione ſuceptam eſſe perhibet. Quanquam & ibi quædam interpolata fuiſſe ſimile admodùm veri ſit; nam cur à Francorum Gente, ad Germanos, etiam accedente Sedis Apoſtolicæ conſenſu, deſtinatus fuiſſet Leontius, cùm ille, quo tempore Fori-Julij in Provinciâ ſedebat, ad Francorum ditionem hæc nondum perveniſſet? Planiùs igitur adductum prius è vulgari Breviario videretur teſtimonium, quo ſcilicet, caritate Chriſti perurgente, hoc ſponte miniſterium adimplere voluiſſe proditur: *Sparſoque* (ut habet)

verbi ſemine per partes Forojulicas, ſub caritatis tegmine terras petit Germanicas. Juvant tamen utraque, quòd eò præcipuè conveniant Leontium ad Germanos, Evangelicæ prædicationis ergò, conceſſiſſe; neque ex illis, quædam interìm inſignia ejus Apoſtolatus veſtigia deprehendi, quiſquam refragabitur: utinam ex aliis, ea aliquando magis illuſtrari contingat.

CAPUT XIX.

Inveſtigatur tempus Leontij obitus, & ad certam epocham primùm revocatur.

PERSUASERAM mihi jam longùm, Leontium uſque ad an. circiter CCCCXLVIII. vitam protraxiſſe, & hanc ſententiam pertinaciùs cum aliis innumeris tueri non deſtiti, quouſque Synodi Reïenſis an. CCCCXXXIX. & Arauſicanæ primæ poſt an. duos habitæ acta perpendens, Theodori nomen ſubſcriptioni Maximi Reïenſis utrobique præpoſitum animadverti. Et hunc Theodorum, alium à noſtro Leontij ſucceſſore non fuiſſe, vehementiùs ſuſpicabar, tùm quòd in illis deſideraretur ipſe Leontius celebrioris famæ, & ſanctitatis Antiſtes, cujuſque adhuc ſuperſtitis & operam Patres expoſtulaſſent, & ille ultroneus impendiſſet; tùm quia reliquæ Comprovinciales Eccleſiæ in præfatis Conciliis memoratos Epiſcopos ſibi ſingulæ vindicant, nullaque Theodorum depoſcit, quem ratio temporis Fori-Julij tunc ſediſſe non repugnabat.

MOVEBANT hæc equidem, at non penitùs convincebant, niſi, cum longè poſthac incidens in Orationem Fauſti Reïenſis, *de laudibus S. Maximi* in eâdem Cathedrâ deceſſoris, & accuratiùs unius aut alterius ex eâ periodi contextum eventilans,

lans, & meæ prioris opinionis errorem, & conſequentis dubitationis fundamentum æquè detexi; ſic ut & Leontij obitus epoche, & ſucceſſoris adminiſtrationis initia citra omnem controverſiam ſtabiliri poſſe videantur: ſi priùs videlicet (quæ veriſſima ſunt) hanc orationem, quæ inter Euſebij Emiſeni homilias hactenus circumfertur, genuinum eſſe Fauſti partum; eamdemque rurſus in urbe, & Eccleſiâ Reïenſi pronuntiatam eſſe demonſtremus.

Nam quod ad primum, quanquam initio de homiliæ illius auctore mota fuerit quæſtio penes Baronium, alioſque, qui Eucherio, vel Cæſario eam adſcribebant, melioribus tandem indiciis Orator certus factus eſt, nuncque uno ore agnoſcunt eruditi Fauſtum auctorem, qui Maximo in Reïenſi Cathedrâ, & in Lirinenſis Cœnobij regimine ſucceſſerat, quod egregiè his verſibus exprimit Apollinaris Sidonius:

Urbem tu cujus, Monachoſque Antiſtes, & Abbas
Bis ſucceſſor agis.

Hunc, inquam, fatentur orationem illam funebrem in laudem S. Maximi elucubraſſe; quod nuper Hilarius in S. Honorati deceſſoris ſui commendationem præſtiterat. His enim inſignibus ſe ipſe prodit: diſſerens namque de Maximo à Forojulienſibus in Præſulem expetito, ejus inquiſitionis teſtem ſe fuiſſe aſſeverat, quibus & Lirinenſem, & Maximo coætaneum extitiſſe ſatis patet: at ſe ejuſdem fuiſſe ſucceſſorem his verbis ſubindicat: *merito ſe vobis imputet beata illa Inſula, ex hoc uno, atque unico munere, licet multùm erubeſcat ex altero* (ex Fauſto ſcilicet oratore:) at Maximi ſucceſſor, & σύγχρονος alius non eſt, quàm ipſemet Fauſtus, ut ſatis probatum eſt.

Sed neque in Ciuitate Reïenſi orationem dictam eſſe minùs exploratum eſt; quod idipſum teſtantur verba illa quibus, ut Maximum Forojulienſi Clero ſubductum enunciavit, hanc nar-

rationem ſic terminat: *gratias inter hæc cæleſti diſpenſationi, pro ſuis meritis quæritur, pro veſtris non invenitur.* Moxque: *non poſt longum tempus* (*ut meminiſtis*) *Sancto orbata Paſtore populi præſentis Eccleſia, piam ſupplex filiis mandat legationem, &c.* Hæc autem populi præſentis Eccleſia erat ipſa Reïenſis, ad quam invitus adductus eſt Maximus, ut pluribus proſequitur Fauſtus: igitur Reij, & ad Reïenſem populum declamatus eſt celebris ille Fauſti Sermo Panegyricus.

His poſitis, & elucidatis, reſumendus eſt, ad aſſumpti à nobis argumenti definitionem, alter ejuſdem Orationis locus, in quo aſſerit Fauſtus per annorum ſeptem ſpatium Lirinenſe Cœnobium moderatum eſſe S. Maximum, exindeque ad Reïenſem infulam promotum: cum paulo ante proxima eremo Civitas hunc in Præſulem expoſtulans in Inſula non reperiſſet. Illius autem hæc ſunt verba, ſub initium: *Hic* (Maximus) *Lirinenſis Inſulæ Sedem, imò Latebras petit, ubi à mundi, tanquam ab inimici periculis tutus, multis laboribus deſudatis, tanquam aliam in matrimonium ſumpturus, & quaſi annorum hebdomade tranſactâ* (*nam plenis ſeptem annis ibidèm Chriſti gregem pavit*) *Rachel acquiſiturus præfertur Inſulæ, præparatur Eccleſiæ.* Et aliquanto poſt, circa medium ita pergit: *Ambiebant illum diverſæ patriæ, ſed vel maximè proxima eremi Civitas, quæ territorij, ac finium ſuorum incolam, velut proprium amplectebatur indigenam: ambiebat illum proxima eremi Civitas, quæ inter locum hunc, & Inſulam* (*ut noſtis*) *interjacet; quâ ille ſuſpicione percuſſus, triſtem parat egreſſum, & longinquum meditatur exilium*, &c. tum ſubdit: *non poſt longum tempus, S. orbata Paſtore populi præſentis Eccleſia*, Reïenſis ſcilicet, ut ſuperiùs.

Ex hoc utroque loco multa, eaque notabilia colligi dantur, & ex primo quidem, integrum Maximi in Inſula regiminis tempus ſtatuitur, ubi *quaſi annorum hebdomade tranſactâ*, id eſt *ſeptem plenis annis* præfecturam illam geſſiſſe certum remanet. Igitur cum Honorato ad Arelatenſem Metropolim aſſumpto

an. CCCCXXVI. teſte Proſperò in Chronico, Maximus dignus habitus fuerit (quod ait S. Eucherius) *cui Fundator ille gubernacula Lirinenſis navis poſt ſe gubernanda committeret*: ut complecantur ſeptem anni ejuſdem moderaminis, preſtitiſſe Lirini Abbatem S. Maximum, uſque ad *an.* CCCCXXXIII. quo in Reïenſem Antiſtitem expetitus, & inauguratus fuit, pro certo ſtatuendum eſt.

Sed quorſum hæc, inquies? Et quî ad Leontij obitus epochem? multum quidem: nam Initiis Sedis S. Maximi ſic certis redditis, finis S. Leontij æquè demonſtrabitur, ſi, ex poſterioris præcitati loci indagine, eliciatur Eccleſiam Forojulienſem proximam illam eremo Civitatem fuiſſe, quæ Maximum ipſum expetierit in Præſulem; cùm non poſt longum tempus eundem Reïenſes in ſuum deſignaſſent. Etenim ex his duabus, quas Fauſtus memorat, Urbibus tantum virum invidentibus prima per ſe dignoſcitur; haud enim alia ab Antipoli, Maximum *territorij, ac finium ſuorum incolam* dicere, eaque ratione uti *proprium indigenam* complecti poterat: nec in alio territorio cenſebatur Lirinenſis Inſula, nec cenſeri potuit. Altera autem Eccleſia quæ Abbatem illum proximè expetiit, miſsâ etiam legatione, facili item negotio nota remanebit, expendenti ſeriem verborum ipſiuſmet Fauſti: *ambiebat illum* (inquit) *proxima eremi Civitas, quæ inter locum hunc, & Inſulam, ut noſtis, interjacet.* Ubi vides duas duntaxat Urbes enumerare eremo Lirinenſi proximas; at quænam, quæſo, poſt Antipolim propior, quàm Forum-Julij? Neque Nicæa, vel Cimelium, neque Vintium, neque Tauroëntum Fori-Julij comparatione Lirino proxima dici poſſunt: at quod rem omninò conficit, nullum ex Oppidis illis inter Reïum, & Lirinum interjacet, & Forum-Julij duntaxàt rectâ à Reïenſi Civitate, ad Inſulam medium remanet. Unde & hæc ſola Sedes Maximum ſolicitè requiſivit, fruſtraque etiam miſſo ſacri Cleri, & plebis cœtu

inquiſivit; cùm non longè poſthac Reïenſis ſuo viduata Paſtore, hunc quem ſufficeret, reperire meruit.

Unde ecce tibi uno verbo fixa, firmataque Leontij obitus, vel adminiſtrati Sacerdotij finis epocha; aſſumpto enim ad Reïenſe ſolium (uti probavimus) Maximo *an.* CCCCXXXIII. dicere cogeris Leontium priùs à moderamine deſiiſſe, quò potuerit Eccleſia Abbati Lirinenſi infulas detuliſſe, paulò antequam Reïenſi præfectus fuiſſet. Quæ ſanè deductio Chronologiæ multorum errores emendabit, greſſuſque noſtros ſic rectè impoſterum diriget, ut nedùm noſtrorum illius ætatis Præſulum ſeriem planam, & continentem, ſed & Reïenſium etiam catalogum emendatiorem datura ſit.

CAPUT XX.

Multi laudum, & praconiorum tituli Leontio ex hac Chronologia adempti. Baronij & Savaronis de quadam Epiſtola Apollinaris Sidonij, varium, anceпſque judicium.

Singulare eſt, invidioſum tempus, cui ſolitum antiquis vel dignitatem adimere, vel minuere, nuſquam in Leontij famam deſæviiſſe. Quidni tanta fuit illius nominis celebritas, ut nedum toto ſui ſplendore, ſed & quodam incremento ad poſteriora noſtra tempora decucurrerit. Etenim licet eo quo floruit ſæculo, plures hujuſce nominis Præſules extiterint ſatis celebres, vix tamen de eorum geſtis encomij apex obſervabitur, qui continuò à majoris famæ ſcriptoribus, Leontij noſtri propriis laudibus non ſit adſcriptus. Obvia ſunt indebitæ illius, ut ita loquar, commendationis exempla, illudque in-primis inſigne, de Apollinaris Sidonij Epiſtolâ III. *lib.* VI. in quâ

Leontium Epiſcopum, ad quem ſcribit, hoc præconio extollens: *cum noſtra mediocritas ætate vitæ, tempore dignitatis, privilegio loci, laude ſcientiæ, dono conſcientiæ veſtræ facile vincatur*, &c. hanc ipſam ad Forojulienſem noſtrum direxiſſe aſſeritur. In eâ ſententiâ fuerunt aliquando Auctores nobiliſſimi Baronius, & Savaro; fuerunt, inquam, nam circa eam diù diſceptatum inter illos: Et cùm peculiaris ſit illorum controverſia, variaque variis temporibus variata, & revariata opinio; placuit horum ſententias ſeorſim exponere; haudquaquam eo animo, ut tantis viris, tantùmque de re literariâ benè meritis lapſum exprobrem; quod eſſet vitium *puerilis jactantiæ* (ut ait Auguſt. *Epiſt.* XIX.) *quaſi noſtro nomini famam, Viros illuſtres accuſando quæreremus*: quin potiùs hæc ipſa adducimus, ut illorum in ſcribendo diligentiam, verique dicendi ſtudium (quod reapsè tantum fuit, ut ſemel affirmata hinc inde retractare non fuerint veriti) commendemus.

Et primùm Baronius ad *an.* CCCCXLV. ubi de controverſiis Arelatenſium, & Viennenſium, hæc habet. *Leo Pontifex præficit Leontium Epiſcopum, ut ejus conſenſu futuræ Synodi in eâ Provinciâ celebrentur. Erat Leontius iſte Epiſcopus Fori-Julij in Galliâ Narbonenſi celebris famâ vir, ad quem extat Sidonij Apollin. Epiſtola, quâ ipſum his laudibus ornat: noſtra mediocritas ætate vitæ, dono conſcientiæ,* &c. *hujus quoque meminit in Epiſt. ad Baſil. lib.* VII. *Ep.* VI. ita Baronius Rurſus idem ad *an.* CCCCLXV. *Extat*, inquit, *Epiſtola Hilari Papæ ad Leontium, Veranum, & Victorium Epiſcopos, quibus delegat cauſæ cognitionem Ebredunenſis Epiſcopi.* Et paulò poſt: *Porrò Leontius primo loco poſitus inter Epiſcopos, etſi cujus Eccleſiæ Antiſtes fuerit nulla ſit mentio; ſcias tamen iſtum ipſum laudatum ab Hilario Arelatenſi in oratione funebri S. Honorati, quem Forojulienſem Epiſcopum eundem opinor eſſe, ad quem extant Sidonij Apollin. literæ.*

Savaro Claromontanus Præſes, eruditus Sidonij popularis ſui Commentator, in editione primâ libri illius, hæc ſcripſit:

Baronius vir doctus, Annalium tomo ſexto penè mihi perſuaſerat, iſtum, ad quem ſcribit Sidonius, Leontium eſſe Forojulienſem Epiſcopum, quæ perſuaſio erronea eſt. Leontius fuit quidem Forojulienſis Epiſcopus, ſed alius ab iſto, & ante iſtum Epiſcopum Burdegalenſem. Ad iſtum Savaro tunc vult datam Epiſtolam.

Rursus Baronius, viſis Sirmundi in Sidonium commentariis, ipſius diligentiam collaudat, & ſententiam amplectitur, quâ Leontio Arelatenſi Epiſtolam illam adſcribit. Unde primam ſententiam mutat, & repudiat.

Savaro ſecundò, in editione alterâ ſui operis priorem ſententiam retractat, erroneamque illam quam exiſtimaverat Baronij opinionem, re maturiùs penſatâ amplectitur, hancque Epiſtol. *lib.* VI. III. ſextamque *lib.* VII. Leontio Forojulienſi poſtliminij quaſi jure reſtituit, & adjudicat: eumdemque itidem *Senectute venerabilem, doctrinâ, & eruditione pollentem celebrat.* Vultque itidèm eum ſubſcripſiſſe Concil. Lugdunenſi, & Epiſtolæ Fauſti; Lucidumque Presbyterum ad eum ſuæ retractationis librum direxiſſe, quod exiſtimavit Baronius *an.* CCCCXC.

At nedum tamen diſceptationi modus ponitur: Annaliſta ſiquidem ad tertiam ſententiam convolat, & qui primum Forojulienſem, II. Arelatenſem, III. denique (quod fuerat primum Savaronis judicium) Burdegalenſem Epiſcopum Leontium illum fuiſſe affirmat, de quo Sidonius locis memoratis. Hæc autem, *Tom. Annal.* VII. *an.* DLXVI. *Senioris itidem Burdegalenſis Epitaphium apud eundem Fortunatum extat à Theodoſio ſcriptum, de quo ut haberi mentionem apud Sidonium Appollin. lib.* VI. *Epiſt.* III. *& lib.* VII. *Epiſt.* VI. *Neque enim alium illum exiſtimo à Leontio ſeniore Burdegalenſi, ætate, nobilitate, & ſanctitate vitæ conſpicuo.*

Mirare hîc lector incertitudinem, & difficultatem Hiſtoriæ, quæ conſummatos viros ita variè vel hærere, vel er-

ſtare compulit, ut uterque, quod notatu dignum, veritatem, quam ſemel aſſeeutus fuit (adeo hæc ingenia hominum fugit) continuò ſubſequenti opinione rejecerit.

Cæterùm & Baronij & Savaronis oculatiſſimorum ſcriptorum ſententia varios utrinque (prout quiſque plus cæteris ſapere geſtit, & majorem inde patriæ, vel regioni gloriam vindicare ſatagit) poſteriores Scriptores attraxit. Imò ultima Savaronis, quæ Leontio noſtro Sidonianam Epiſtolam adſcribit, tam jejuno fundamento nixa, & penitùs falſa, plures duabus ſequentibus, quarum altera vera, altera ſaltem veriſimilior erat, adſtipulatores incitavit; antiquis, ut mos eſt, recentioribus facem ad lapſum præferentibus. Poſt Savaronem namque Robertus, Sammarthani fratres *in Gallia Chriſtiana*, Andræas du Sauſſay *in Martyrologio Gallicano.* Gueſneus *in Præſulibus Maſſilienſibus*, Bertellus *in Reienſibus*, P. Dufour *in ſuo Leontio*, Lirinenſis Chronologus, aliique in eundem ſenſum pedibus ivere.

Sed nil attinet nunc eventilare cur potiùs Leontio Arelatenſi, quàm Burdegalenſi ſit adjudicanda toties memorata Epiſtola: hoc enim eſſet extra limen excurrere; imò, cùm & ante me, rem demonſtraverit R. P. Iac. Sirmondus, actum agere: cùm id ſolum probandum aſſumpſerim, Leontium illum, noſtrum Forojulienſem non fuiſſe, quod, præcedenti capite, ſatis ſuperque ſtabilitum eſt. Quî enim Sidonius, omnium conſenſu, Pontifex inauguratus circa *an.* CCCCLXXII. potuit ad Leontium Forojulienſem dediſſe literas, qui ab annis circiter quadraginta, nempe CCCCXXXII. vitam, & Epiſcopatum glorioſo exitû compleverat.

CAPVT XXI.

Controverſiæ inter Arelatenſem & Viennenſem Præſules expoſitio: Et an illius fuerit quaſi ſequeſter Leontius, ex reſcripto S. Leonis Papæ? Inſignis Martyrologij Gallicani error detegitur.

CELEBRIS illa (ut ſatis innotuit) Sidonij Epiſtola III. *lib.* VI. neque tam conſtanter, neque ab omnibus Leontio Forojulienſi adjudicata fuit, ſed quod omnium ore, & omnium calculis tributum eidem fuit honoris inſigne, illud eſt, quod Leo Pontifex Epiſtola LXXXIX. confert cuidam Leontio Epiſcopo quem ſolum in Viennenſi Provinciâ cogendarum Synodorum voluit habere facultatem; ex occaſione controverſiæ quæ inter Viennenſem, & Arelatenſem Præſules vertebatur. Ea autem antiqua nec hujus ſæculi fuit diſceptatio, quâ Metropolitæ illi (ut omnibus innatum dominandi deſiderium dominatur) pro Sedis quique ſuæ primatû plus nimio contendebant. Coacta jam fuerat ineunte ſæculo Auguſtæ Taurinorum Synodus, in quâ quidem Patres liti finem imponere, ſinceriùs, quàm feliciùs, allaboraverant. Illi ſiquidem non ex Gallicanis Eccleſiis ſed ex Italiæ potiſſimùm finibus convenientes, genuinum rerum ſtatum haud per ſe edocti, privilegiorum Civitatum, & Provinciæ amplitudinis notitiæ prorſus expertes (quod ſatis primo canone ſignificant) haud definitivum judicium, ſed interlocutorium, ut aïunt, duntaxat ferre potuerunt; quo placuit: *ut ea Civitas totius Provinciæ Primatus honorem obtineret, quæ ſe probaret eſſe Metropolim.* Quâ quidem definitione, haudquaquam conſopitâ querelâ, novarum altercationum ſemina

mina pullularunt, quæ & præſentium periculorum occaſio fuere, & Romani Pontificis auctoritatem expoſtularunt.

Etenim Hilarius Arelatenſis ex præſumpto ſibi jure, quod è civitatis ſuæ ſplendore, Conſtantini beneficio, multum ſupra Viennenſem adaucto, etiam vindicabat, Projectum, & Celidonium Viennenſis Provinciæ Præſules depoſuerat, alioſque eorum ſedibus ſuffecerat. Hi Leonem Papam adeunt, apud quem de injuriâ conqueruntur, quos cum pedeſtri itinere, ut cauſam tueretur, ſecutus eſſet Hilarius, & ſubodoratâ mente Pontificis, geſtis haud patrocinaturum perſenſiſſet, ante latam ſententiam, Arelatem, inſalutato Leone, rediit. Quo ſanè facto tam graviter in Arelatenſem commotus fuit Romanus Pontifex, ut ex convocatæ Synodi judicio, ejus in exauctoratos Antiſtites exploſa ſententia, iiſque Viennenſibus adjudicata fuerit. Nè autem poſſet in poſterum Hilarius nova moliri, ſcripſit Epiſtolam illam, (de quâ nunc) *ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis*, in quâ, poſtquam omni conviciorum genere ipſum feriit, lepidèque ſimul, atque acriter ſubitum illius receſſum carpſit, his verbis: *Inſperatus ſupervenit, & improviſus abſceſſit, curſu, ut didicimus, celeri itinera multa conficiens, & per longinquas Provincias, tantâ immaturitate, diſcurrens, ut videatur gloriam de ſcurrili velocitate potiùs, quàm de Sacerdotali moderatione captaſſe*, &c. eidem inſuper cogendi Concilij auctoritate interdicit; quam Leontio committit, præviâ hac illius commendatione: *Et quoniam veneranda eſt ſemper Antiquitas, fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Leontium hac, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus conſenſum non indicatur à ſanctitate veſtra Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetuſtas ejus, & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegij ſui dignitate ſervatâ.*

Hanc igitur cogendæ Synodi poteſtatem, perſonaleque quoddam Metropolitani jus in Leontium noſtrum referunt Scriptores celebratiſſimi Baronius, Sirmondus, Savaro, Sauſ-

N

ſayus, Cl. Robertus, Sammarthani, H. de Noris, ex Heterodoxis Da. Blondellus, &, ut video, Queſnellus ipſe, noviſſimus Leonis operum eximius illuſtrator: illi omnes, inquam, & quotquot alij, vel ex Leontij, vel ex Epiſtolæ Pontificiæ occaſione diſſeruerunt, totidem Leontio Forojulienſi tantùm prærogativæ tributum eſſe conveniunt. Atque illis hac in parte non adhærere eò graviùs ſuſtinemus, quòd nos de Leontio notabilia, hoc qualicumque opuſculo, pandere proponentes, præcipuum tamen iſtud reſecare cogat potior adductæ Chronologiæ auctoritas, quæ penes nos præponderat, validiorque videtur memoratâ Scriptorum conſentione. Cum enim Leontium finem vel vivendi, vel regendi feciſſe circa *an.* CCCCXXXII. ſuperiùs probatum ſit; Leoniſque Epiſtola ſcripta fuerit Valentiniano Aug. VI. Coſ. cujus conſulatus cadit in *an.* CCCCXLV. non potuit illius reſcriptum ſuſcipere Leontius Forojulienſis Antiſtes, qui ab annis jam XIII. alterius nominis ſucceſſorem habuerat Theodorum.

Si cui tamen iſta Chronologia, vel Fauſti verborum interpretatio non placeret, malletque tot, tantoſque anteſignanos, in Leontij præconium concinentes, quàm ductorem præpoſterum, ejuſdem laudibus quadantenùs detrahentem ſequi; quin imò & ſi illi conjecturas, & argumenta noſtra melioribus evertere contingeret, (quod tamen minùs nunc timemus, quàm dolebimus) non tamen continuò recipienda eſſent inſerta *in Martyrologio Gallicano*, cujus Auctor, quà ex veris, quà ſuppoſititiis Leontii geſta, grandi verborum cothurno, concinnans, ad Kal. Decemb. ex verbis ejuſdem Leonis Epiſtolæ minùs benè intellectis, in alium errorem impegit, quem declinare immonito non tam eſſet obvium. Hunc autem eò feſtinantiùs præſtat detegere, quòd liber ille ſit veluti promptuarium, è quo, quotquot ſcioli Leontij res proſequuntur, aut ex Ambone declamant, orationis argumentum, & auctoritatem

deſumant. Ille igitur Hilari Papæ reſcriptum adducens (eſt autem *an.* CCCCLXIV.) contra auſus Mamerti Viennenſis Archiantiſtitis, qui Dienſem Epiſcopum, injuriâ Metropolitæ Arelatenſis, vi etiam adhibitâ, ordinaverat, detorquet, refertque verba Pontificij illius reſcripti, ad præmemoratam Leonis Epiſtolam; teſtaturque tale à Mamerto attentatum fuiſſe in prajudicium collati dudùm privilegij à deceſſore Hilari, Leone, his omninò verbis: *Pontifex*, Hilarus, *Zelo Apoſtolico exardeſcens aculeatas literas ad Epiſcopos harum Provinciarum direxit, quibus irrogatam Leontio ſancto fratri* (*ait*) *& Coepiſcopo, ſuam computavit injuriam; nihilque juris, & honoris ipſi delati à deceſſore ſuo Leone, pro tutelâ obſervantiæ diſciplinæ, & excidio confuſionis ſacrarum regularum declarat potuiſſe ullâ contumeliâ imminui.* Hactenus Martyrologium Gallic.

AT, Deus bone, Hilarus Pontifex, hac in Epiſtolâ, Arelatenſis tantùm Antiſtitis (qui Leontius itidem vocabatur) injuriam vindicat, quod non diſtinxit Martyrologij auctor, inſuperque non coactam citra legitimam poteſtatem Synodum, ſed ordinatum, contra Canonica ſtatuta, Præſulem cauſatur. Quiſquis enim fuerit ille Leontius à Leone commendatus, priorem quidem habuit cogendæ Synodi facultatem, at nuſquam ordinandi Epiſcopos facta fuerat illi poteſtas. Quin & hæc illi Leonis reſcripto adempta erat, cum ſub finem (uti meminimus) *Metropolitanis privilegij ſui dignitatem ſervatam eſſe velle*, pronuntiet; quam ſciunt omnes primitùs ſemper circa Pontificum unctionem verſatam eſſe. Sed qui plura deſiderabit, conſulat ipſam Hilari Epiſtolam, quæ ordine eſt undecima *tom. tert. Concilior.* in quâ majora lapſus illius argumenta animadvertet: ſub finem enim conſtitutum fuiſſe conſpiciet: *ut qui Dienſibus à Mamerto conſecratus eſt, Leontij Arelatenſis Epiſcopi, à quo conſecrari debuit, arbitrio confirmetur*, &c. quæ tàm manifeſtè reclamant, hanc non ordinarij Antiſtitis, ſed Metropolitani eſſe, &

N 2

agitari querelam, ut mirum ſit, quî illa virum eruditum deceperint.

CAPUT XXII.

Traditio Eccleſiæ circa S. Leontij Martyrium haud leviter reprobanda: Uvandali Africam occupant; & Piraticâ in oras maritimas terribiles evadunt.

ETsi ſuperius memoratum à nobis ſit quantâ ſolicitudine cavendum voluerit Eccleſia, ne quid temere inter Sanctorum geſta inſcriberetur; qui tamen malè feriatus homo hæc ita intelligenda putaret, ut laudabiles Eccleſiarum traditiones, quæ vel ab eorum temporum ſcriptoribus conſignatæ non ſunt, vel licet conſcriptæ ad noſtra non pervenerunt, reſcindere foret liberum, hic uno ictu, non peculiaris alicujus, ſed univerſæ Eccleſiæ Hiſtoriæ fidem nutantem ex parte redderet, & in utramque obſcuritatem omnium maximam inveheret. At longè ſecus factum eſt: Nam & illæ antiquarum Eccleſiarum traditiones receptiſſimæ apud cordatos ſemper fuerunt, quæ cum probatorum auctorum teſtimoniis non adverſentur, nec rationi temporum contradicant, piam, religioſam, probabilemque fidem præ ſe ferunt. An autem quæ de Leontij Martyrio apud nos huc-uſque perſeveraverit, talis fuerit, necne? erit legentis judicium.

Ac primùm nulla rationi repugnare videntur, nam cùm certum ſit, hoc tempore Uvandalos Africam, quam ab *an.* CCCCXXVII. invaſerant, variis cladibus populatos fuiſſe; fieri potuit, ut eadem Gens Barbara, quam ſub nomine Tranſmarinæ indigitare videtur Legendarium, ad noſtram etiam oram appulerit, Civitaſque ultima metuens pericula,

ſub certæ pecuniæ ſolvendæ ſponſione, pro qua ſe obſidem conſtituerit Leontius, perniciem declinaverit. Cui conditioni libentiùs acquieviſſe Barbaros credi poteſt, quòd hi non neſcientes quanto populi Catholici ſuos amore complectebantur Epiſcopos, cum unico Leontio ſummam citamque ſolutionis ſecuritatem in patriam reportabant. Et hæc eſt prorsùs Eccleſiæ noſtræ traditio, & *quod patres noſtri narraverunt nobis.*

Quid hîc inſolens, aut fidem ſuperans? nunquid illud fuit ſemper, ex præcepto Dominico, boni Paſtoris officium animas pro ovibus ponere? & quem Sanctæ adminiſtrationis partes omnes compleviſſe Leontium jam vidimus, hâc ultimâ cæteras conſignare voluiſſe, quid niſi illius ſanctitati conſonum? Sanè hæc erat ſæculo illi innata felicitas, ut Præſules pro commiſſis ſibi populis agoniſando, non tam vellent ſe impendere, quàm ſuperimpendere, plùſque Chriſti de eo mandatum viderentur ſupergredi, quàm implere. Crebra, apud eoſdem Uvandalos extabant commendandæ illius Charitatis exempla, ſed illud inter cætera mirabile, quod etiam tunc Leontio fortè (ut paſſim traditur) præluxerat, Paulini Nolani facinus, quo, ut viduæ filium unicum à Uvandalicâ ſervitute liberaret, ſe ipſum, ejus loco, captivum ſuffici paſſus erat. Unde & ſi cujus animum moveat, vel aſſenſum remoretur repentina illa potentiſſimæ Urbis obſeſſio, non inficiantur aliqui hanc ſimili ratione fieri quadantenùs potuiſſe Leontij deditionem, ut nimirùm pro aliquibus è popularibus in captivitatem adductis, vel adducendis, vel ſervituti, vel neci ſe ipſe libens addixerit. Quòd in horum alterutrum æquè quadrare poſſint ſolennes illi, & cotidie recantati triumphi illius verſiculi: *Leontius Domini verus imitator, ac commiſſi populi ſalutis amator, ſe ipſum dans funeri, fit gregis ſalvator.*

Sed ut ut ſit, cum hancce noſtram Leontij ſanctitati de Martyrio ſententiam apprimè convenire nemo negaverit,

utrum hæc rationi temporum cohæreat explorare nunc è re erit. Igitur Uvandalis rerum in Africâ potientibus aliquot annis ante Leontij obitum; non diſcrepat Chronologiæ ratio, quin illi hanc in regionem noſtram, populationem moliri potuerint. Etenim morem tunc Uvandalis fuiſſe, patulis ſuis excurſionibus, Provincias finitimas depaſci, teſtantur explicatiſſimè omnes illius ætatis Hiſtorici; inter quos præcipui Victor Vitens. *lib. 1. de perſecut. Vvand.* Procopius *lib. item 1. de bello Vvand.* qui non modo Africam horum perſecutione contritam eſſe, ſed & multas Romani Orbis Provincias, Siciliam, Illiricum, Italiam, Sardiniam, &c. perfidæ gentis immanitate ingemuiſſe non ſemel affirmant; cum videlicet ſævus eorum Dux Geinſericus Catholico nomini infenſiſſimus, annis ſingulis, maritimas oras infeſtaret. Pro quo valdè in rem noſtram obſervatû digna ſunt ipſius Procopij verba, loco citato: *Geinſericus veris initio* (inquit) *continuò longas fecit prædando, & populando incurſiones, nunc in Siciliam, nunc in Italiam, Civitates inſuper partim diripiendo, partim ſolo æquandò. Vbi verò omnia delevit, ad Orientis converſus Imperium, Illiricum omne, ſimul & Peloponeſum, hiſque adjacentes Inſulas cum reliquâ Græciâ invadit. Ad Italiam rurſum, Siciliamque reverſus, quidquid erat reliqui diripuit. Verum cum è Cartaginis quondam portu, paſſis velis, ſoluturus eſſet, interrogatus à Nauclero quò tendere populabundus vellet; reſpondiſſe: quò Deus impulerit. Adeo ex nullâ causâ in obvios quoſcunque hoſtiliter ferebatur.* Hucuſque Procopius. Doluit & infauſtam ætatis hujus vicem nobilis & coætaneus Scriptor Sidonius *in Panegyrico Anthemio* dicto, hoc eleganti carmine.

Quemcunque creavit
Axe meo natum, confeſtim fregit in illo
Imperij fortuna rotas. Hanc Vvandalus hoſtis
Vrget & in noſtrum numeroſâ claſſe quotannis
Militat excidium.

Hîc igitur jam habes anniverſarios hoſtes Uvandalos claſſe maritimâ in Provincias noſtras irruiſſe, horumque furore vel direptas urbes, vel ſolo æquatas; ſed & iteratò in Siciliæ, & Italiæ partes diverſione factâ, quidquid erat reliqui abſumptum eſſe. Cur ergo & Fori-Julij pedem figere non potuit, & in Urbem hanc, juxta illius traditionem deſævire claſſis illa, quam & in omnem viciniam, & longè ab Africâ remotiùs excucurriſſe, ex dictis habemus exploratiſſimum?

Non diffiteor tamen has præcipuè Uvandalorum incurſiones poſt Valentiniani obitum contigiſſe, quò & illas etiam referunt Scriptores prælaudati: unde cum Imperator ille finem vivendi fecerit octavo ſuo cum Anthemio conſulatu in *an.* CCCCLV. incidente, non potuit, inquies, tam infelicia tempora vidiſſe Leontius, qui jam ab annis XXIII. diem extremum clauſerat? Sed nil cauſæ apparet aliquibus, cur & Valentiniano adhuc ſuperſtite, nova moliri non potuerit Gens, ferox & infida, quæ audaciori omnium facinore nobiliſſimam Romani Imperij portionem, Africam jam invaſerat. Nam & extra eam longè ante Valentiniani exceſſum piraticam exercuiſſe conſtat ex auctiori Chronico Proſperi, qui ſub Conſulatu Valentiniani Aug. V. & Anatolij cadente in *an.* CCCCXL. Siciliam à Geiſerico immaniter afflictam annotat. Et idipſum peremptoriè evincit Paſchaſini Lilybetani, vel Lilybei in Sicilia Præſulis eruditione præſtantiſſimi Epiſtola, data *an.* CCCCXLIV. ad Leonem Papam, *de cyclo Paſchali*, in quâ, & Uvandalos Inſulam deprædatos eſſe, multoſque captivitati mancipaſſe oculatus rerum teſtis, harumque pars magna his verbis refert: *Apoſtolatus veſtri Scripta Diacono Panormitanæ Eccleſiæ Silano deferente percepi, quæ nuditati meæ atque ærumnis, quas amariſſimâ captivitate faciente incurri, ſolatium in omnibus, atque remedium attulerunt, cæleſti rore animum recreantes, atque omne quod triſte fuerat abſtergentes.* Quod Lilybetani teſtimo-

nium probat Ado Viennenſ. in Chronico. *Uvandali Carthagine captâ, Siciliam quoque deleverunt, cujus captivitatis Lilybetanus Antiſtes Paſcaſinus in Epiſtola quam de ratione Paſchatis Papæ Leoni ſcripſit meminit.* Scio doctiſſimum Annaliſtam ad annum CCCCLIV. in quem hanc Epiſtolam erroneâ putatione ablegat, ſentire hanc in Siciliam per Geiſericum impreſſionem hoc anno factam diverſam eſſe ab illâ: *cum poſt Valentiniani obitum*, inquit, *omnibus illis potitus eſt Inſulis, & ſub tributo redegit*, à quo in eo non diſcedo; cum propiùs vero ſit Tyrañum, cui ex Valentiniani morte creverant ſpiritus, tunc majora molitum eſſe, apertoque marte, panſiſque velis oras maritimas infeſtaſſe, & vectigales primum feciſſe. At potuit priùs (quod & fecit) has ipſas raris excurſionibus quaſſare, quæ poſteriorum comparatione leviores, Scriptoribus illis viſæ fuere, qui earum initia, poſt ſuprema Imperatoris fata referunt. Imò & revocat mihi in memoriam Paulini prælaudatum factum eoſdem Uvandalos (S. Gregorio *Dial. lib.* III. *cap.* I. adſtipulatore) piratas agentes in Campaniæ partibus, multos ex iis captivos in Africam adduxiſſe, quos Paſtoris ſancti indefeſſa charitas, tanquam victoriæ ſuæ tropæa, captivitate ſolutus, ſecum Nolam, magno omnium plauſu, reduxit. Quod etiam planè evinceret ante Valentiniani obitum Barbaros has regiones eſſe populatos.

Sed huic, de Paulino, Uulgatæ hiſtoriæ ægrè pleroſque aſſenſum præbere video, alios fidem omnem denegare, validiſque argumentis ſubvertere; quòd cum chronologica ratione minus conveniat; inter quos tamen haud ſcio an. V. Cl. Petrus F. Chiffletius qui in ſuo *Paulino illuſtrato* rem omnem componere intendens, hanc ipſam majoribus difficultatum latebris implicarit, dùm Paulini deditionem ad ea Alarici tempora retrahit, quibus poſt Romam occupatam *an.* CDX Campaniam, reliquaſvè Italiæ regiones populari victor Tyrannus non deſtitit.

tit.

tit. Quæ nedum cum ipſo S. Gregorio pugnant, tantum abeſt ut ejus fidem liberent; ſed etiam cum S. Auguſtino, qui *lib. de cura pro mortuis cap. ſec.* Paulinum non in Africâ conterraneum ſuum, ſed Nolæ conſiſtentem agnoſcit poſt Gothicam illam impreſſionem, ut egregiè notat Baronius *ad præfatum an. num.* XLVI. Igitur ſi non toto cœlo, ſaltem toto mari aberrant, qui eâ tempeſtate S. Paulinum in Africâ quærunt.

Quantò haud dubiè probabiliùs opinatur Ferdinandus Ughellus, quem audio *tomo* VI. *Italiæ ſacræ* in Elencho Præſulum Nolanorum, alterum juniorem Paulinum exhibuiſſe, circa hujus quinti ſæculi finem. Quibus autem rationum momentis? an ut illi hanc deditionem accommodet, adeo ut S. Gregorij auctoritas viſa illi fuerit ad illud additamentum ſufficiens? aſſeverare non poſſum, cum liber ille ad manus meas nondum devenerit. Suſpicor tamen: Cur enim Hiſtorico verſatiſſimo, tanti Pontificis aſſertio ad id ſufficiens & idonea haberi non potuit? quando viris eruditione & pietate præſtantibus non repugnat, ex eâ, duos hujuſce nominis Præſules conjectare, quò eorum alteri, juniori videlicet, quæ S. Gregorius conſignavit, adſcribi poſſint.

At utcunque ſe habeat res, à qua nec Eccleſiæ noſtræ fides robur omne mutuatur: ex illo tamen de præcipuis Uvandalorum invaſionibus, poſt exceſſum duntaxat Valentiniani actitatis, patefactæ Chronologiæ momento, ſpontaneam Leontij oblationem & exilium convenientiùs in ſubſequentem illam epocham rejectum iri non inficior, unde & illud inquiri jure poſſe concederem ☞

O

CAPUT XXIII.

Unuſne, an Duo Leontij Quinto Eccleſiæ ſæculo Forojulienſem Cathedram tenuerint?

DIFFICILIS intricataque haud dubiè Quæſtio, quæ me diutiùs occupatum tenuit, & cunctabundum. Nec tamen hactenùs nodum me diſſolviſſe glorior, cum utrinque non niſi dubitationes, & conjecturæ militent. Sed cum aliæ tamen aliis graviores occurrerint; has hìc me in medium proferre queri nemo poterit: nam (docente minutio Felice *in ſuo Octavio*) *nil indignandum dolendumque, ſi quicumque de Divinis quærat, ſentiat, proferat, cum non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur.* Itaque habeo hìc ego præcipuè quod quæram; quid ſentiendum, aut quid proferendum ſit, non tam mei, quàm eruditi Lectoris hæ partes ſunto.

CUM enim S. Leontij geſtis ſæculum integrum pleroſque Scriptores aſſignare notaverim, alios quædam adſcribere, quæ unico convenire non poſſunt, ſufficiens hìc inquirendi argumentum, unuſnè an duo hoc ipſo ſæculo Præſules ſederint, adeſſe cenſui. Et quidem variæ in utramque partem expendi rationes poterunt, quarum omnium tamen robur, cum adductis *cap.* XIII. de Leontio auctoritatibus, innitatur; has, antequam judicium, Lector, proferas, ſub conſpectum retuliſſe multùm juverit; quò & planiùs, & certiùs definire tu ipſe poſſis, quænam aliis præponderent, fixumque deinceps maneat, vel unicum Leontium Epiſcopum, & Confeſſorem duntaxat, vel ipſum ſimul & Martyrem; vel denique, mediâ viâ initâ, conciliatiſque invicem pugnantibus in ſpecie

documentorum aſſertionibus, duos agnoſcendos eſſe, quorum alter Confeſſoris honore inclytus, alter Martyrij palma venerandus Sedem hanc nobilitarint.

Ex tantâ autem (ut quod conjicio exponam) teſtium nube, ex domeſticis, externiſque teſtimoniis coaleſcente, quorum aliqua Leontium Epiſcopum, & Martyrem, alia Epiſcopum Confeſſorem duntaxat exprimunt, quod ex iſtis penes me plus habet ponderis, non aliud eſt quàm Martyrologium M. S. S. Sabini ab annis D. excuſſum, & ab Gallicani Martyrologij Auctore ad calcem operis exhibitum, in quo hæc obſervavimus. *Die* XVI. *Novemb. in urbe Forojulienſi Depoſitio S. Leontij Epiſcopi, & Confeſſoris.* Quo, ut vides, non ſolùm in diem ab eo planè diverſum, qui Leontij Martyris natali adſcriptus eſt, ejus feſtum rejicitur, ſed explicatè Depoſitionem indicit, quæ propriè Confeſſorem indicat. Cùm autem exactiori Chronologico calculo adverſari ſatis videatur Leontij ſenioris, S. Honorati amici vulgatum Martyrium, quòd ipſo, ut probatum eſt, an. Chriſtianæ æræ CCCCXXXII. decedente, Uvandali non dum ex Africâ in hanc Provinciam populabundi pedem intuliſſent, Confeſſor iſte tantummodò dicendus veniret, idemque planè eſſe conjectabitur, cujus depoſitio ex prælibato Martyrol *ad* XVI. *Novemb.* refertur.

Quod enim hâc ſuâ ætate Leontius Lirinenſium fautor, Martyr non videatur reputandus, ſed Confeſſor, non quidem petendum exiſtimarem ex illis Hilarij, in oratione S. Honorati verbis ſæpè dictis, quibus Leontium *Sanctum virum, & Beatiſſimum Epiſcopum*, nulla Martyrij mentione habitâ nominat, cùm utique ipſe Honorato ſuperſtes fuerit, ſederetque adhùc Fori-Julij, dum Arelatenſi, Panegyrico Sermone parentaret Hilarius; ſed ex eo magis adſtruerem quòd Arelatenſis III. Concilij Patres in compoſitione controverſiæ Theodori Epiſcopi, cum Fauſto Abbate, quæ tota ex ipſiuſmet Leontij

auctoritate, câque quam vivens ſervaverat agendi ratione; ob tanti viri reverentiam conſopita fuit, ejus tamen abſque ulla honorificâ Martyrij illius teſtificatione recenſuerint: *Hoc tamen ſibi tantummodò vindicaturus Theodorus, quod ſanctæ memoriæ deceſſor ſuus Leontius ſibi vindicaverat.* At tam recens, tàmque ſplendida Martyrij ſingularis memoria non leviter hîc fuiſſet prætermiſſa, cùm & hoc immenſi decoris titulo, pluſquam ejus prudentiâ, aliiſque virtutibus, definitioni ſuæ majorem auctoritatem conciliaſſe viſi eſſent; tamque partes ipſæ quàm poſteri ex eo, ad Synodicum decretum majori obſervantia cuſtodiendum incitati fuiſſent.

Quid enim, ſi Patres Theodorum Epiſcopum meminiſſe moneant, *ſe olim Abbatem fuiſſe*, quò eum ad Fauſti Abbatis itidem veniam emolliant: non minùs videbatur habuiſſe roboris, ſi tàm ipſi, quàm Fauſto, poſteriſque inculcaſſent, hanc, quam edebant, ſanctionem ex venerandi illius Præſulis mente, & exemplo procedere, qui vitam omni virtutum genere coruſcantem, inſignis Martyrij ab omni ætate celebrandi coronâ cumulaverat. Quod ſi partibus ipſis, cùm ob virtutum merita quibus præcellebant, tùm ob facti claritudinem, quæ erat præſentanea, inutile, & ſuperfluum judicaſſent Patres, iſta in memoriam revocare, illud ſaltem in gratiam poſteritatis, quam talia fugere poterant, literarum monumentis conſignaſſe convenientiùs quiſque crediderit: cùm ut egregiè obſervat Ambroſius *lib. 2. de virgin. plus proficiamus exemplo: quoniam nec difficile, quod jam factum æſtimatur; & utile quod probatum; & religioſum, quod hæreditario quodam paternæ virtutis uſu, in nos eſt ſucceſſione tranſfuſum.* At Leontij exemplum ſuo haud ſplendori reſtitutum, imò & efficaciori robore deſtitutum videretur, ex ſpontaneâ ejus Martyrij reticentiâ. Si hæc autem aliaque Leontium iſtum ſeniorem, Confeſſorum ſacro choro duntaxat adſcribendum inducerent, in plenam ſententiæ illius confirmationem, illi-

gari iſtis poſſent quæ ſimiliter Leontium Confeſſorem præinſerta *cap. citato* documenta commemorant.

At nunquid illa tantum ſtare illæſa, rejici reliqua debent? abſit ut ego hujuſce Conſilij auctor fuerim; ut quid enim Eccleſiæ noſtræ, Patrumque traditio ad nos uſque, tantâ celebritate decurrens, iteratiſque teſtimoniis roborata, à nobis conculcaretur? pro quâ utique egregiè militant tàm noſtra quàm exterorum Kalendaria, favent Miſſales libri, adſtipulantur Rituales & Sacramentales codices, inſtant directoriæ officiorum formulæ, ſuffragantur Hymni, Antiphonæ, & Reſponſoria vetuſtioris Breviarij; quibus alia legendaria bellè concinunt, tandemque Eccleſia & Diœceſis univerſa, quæ ejus triumphum ſeu natalem diem à multis retro ſæculis, quotannis recurrentibus *Kal. Decemb.* pompâ recolit triumphali, fidem & auctoritatem præſtat. Ut modo taceam notæ antiquitatis; quæ paſſim obſervantur pictas ſub ejuſdem nomine tabellas, in quibus inde ejus deditio, hinc vincula, & carceres, tùm conſcenſus in navim, Martyrium, aliaque ſimilia cum traditione cohærentia, repræſentantur, quæ per ſe ſatis clamant.

Hæc ſanè deſpicere temerarium, conciliare tentaſſe fortè laudabile. Si enim S. Gregorij, de Paulini ſpontanea, pro viduæ filio unico liberando, deditione, teſtificatio, Aquitani noſtri temporibus haudquaquam conveniens, alium ab iſto, junioremque vindicari poſſe viros eruditos cenſere fecit, quò tanti Auctoris fides ſolveretur: adducta certè, non pauca ſed innumera canæ antiquitatis authentica documenta Leontium alium Martyrem, à Seniori planè diverſum, eodemque hoc ſæculo Cathedræ illius ſucceſſorem opinari penè compellunt. Hæcque in omnem partem ſuffulciunt quæ *ſuperiori cap.* de Uvandalorum ſævitiâ & ſtatis excurſionibus, poſt Valentiniani Aug. obitum *an.* CCCCLV. ex illibatæ fidei ſcriptoribus, iiſque coætaneis, adduximus. His enim temporibus extincto

Sanctiſſimo Præſule Theodoro, potuit, ex eodem ſtœchadum ſodalitio, Leontius alter ſubrogari, quippe qui ibidem magnâ famæ laude degebat, Caſſiano teſte, *in Præfat. ad* XVIII *collat.*

Ille itaque Leontius, ſeu quiſquis alius hujuſce nominis Martyrium complere potuit, ab inde, hoc eſt ab *an.* CCCCLV. ad ann. ejuſdem ſæculi LXV. intra quod decennium, tam vacuæ Epiſcopalium geſtorum, præter memoratum Martyrium exhibentur tabulæ noſtræ, quàm crudelitate, cædibus, omnimodiſque in regiones noſtras hoſtilitatum machinamentis, refertæ ſunt Uvandalicorum annalium paginæ. Quæ ſanè Uvandalica invaſio Eccleſiæ noſtræ traditioni magis conſentanea alicui videretur, cùm Leontium mare navigio tranfretaſſe, exiliumque, inde mortem paſſum eſſe proditum ſit. Sed ſi quem alium hæc morarentur, non tamen deinceps malorum, & in Eccleſiam Dei infauſtorum moliminum expertia ſubſequentia tempora reperiret. Toto ſiquidem Sæculi illius decurſu Patria Provincia ſub Arianorum Principum tyrannide miſerabiliter ingemuit, ex quo præcipuè Evaricus, ſeu Euricus, vel Evarix (totidem ſiquidem nominibus apud Hiſtoricos deſignatur) Uviſigothorum Rex majorum vota ſuperans, quorum alteri fixum, ut notat Sidon. *in Paneg. Aviti.*

In Rhodanum proprios producere fines.

ille, inquam, flumen etiam illud victricibus armis trajiciens, occupatis præcipuis regionis præſidiis, Maſſiliâ, & Arelate, totam ditioni ſuæ brevi ſubjecit. Dictû longum nec creditû facile quot tunc perpeſſæ ſint calamitates Eccleſiæ, quot ludibria ſacri miniſtri: quot denique, in valente audacia, furtis, ſacrilegiis, exiliis, necibus, in populum Catholicum, & S. S. illius Præſules deſævierit Rex impius, de quo merito ambigendum notat idem Sidonius *Epiſt.* VI. *lib.* VII. *ampliuſnè ſuæ gentis*

an ſuæ ſecta teneret principatum; niſi & ipſe eruditione, & ſanctimoniâ inſignis Epiſcopus, quæ ſuis oculis gemens cernebat, hac eâdem citatâ Epiſtolâ lugubri planè oratione repreſentaſſet. *Ita* (inquit) *populos exceſſu Pontificum orbatos, triſtis interciſa fidei deſperatiô premit, nulla in deſolatis cura Diœceſibus, Parochiiſque: videas in Eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valvarum, cardinibus avulſis, Baſilicarum aditus hiſpidorum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa, proh dolor! vides armenta non modo ſemipatentibus jacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci.* & poſt aliaqua. *Altiùs inſpicite ſpiritualium membrorum damna: profectò intelligetis quanti ſubripiuntur Epiſcopi, tantorum nobis populorum fidem periclitaturam.*

Hæc, aliaque ad Provincialem Epiſcopum, Baſilium ſcilicet Aquenſem Sidonius. Sed neque leviora noſtrorum capitibus impendebant; namque vertente anno circiter CCCCLXXIII. Valerius Antipolitanus Epiſcopus ab Ariano Tyranno juſſus interimi, nobiliſſimi Martyrij palmam retulit, ut produnt probati M. S. Cod. quos etiam admittunt V. Cl. Sammarthani Fratres. Ab eoque non longè tempore Gratianum Telonenſem, & Deutherium Nicienſem Præſules, ejuſdem iniquâ ſententiâ, ferali gladio trucidatos eſſe teſtantur Eccleſiæ Telonenſis tabulæ; quas tamen (cum poſt decimum ſæculum è vetuſtiorum fide de novo inſcriptæ fuerint) in quibuſdam, ab Amanuenſibus depravatas, in aliis ab ineruditis interpolatas fuiſſe cenſemus; ſi tamen ſincerè prout extant, exhibuit Gueſnaïus *in annalibus Maſſil.* & ex ejus fide eruditiſſimus Joffredus *in Nicienſibus.* Quis enim non videat Hunericum, quem *an.* CCCCXCIII. oræ maritimæ urbes infeſtantem reponit, pro Evarico, unius aut alterius literæ mutatione, ſubjectum fuiſſe, cum & Hunericus Uvandalorum Rex licet ſceleratiſſimus, in ſuo ſeptem annorum Principatu, nullas in Galliam excurſiones feciſſe legatur, quam (ut notat Jornan-

des *lib. de rebus Geticis*) jam pater ejus Geiſericus totam Evarico ſuiſque deprædari permiſerat. Imò ad illud, homo rei politicæ intelligens, datis muneribus pellexerat Evaricum, *quatenus ipſe* (inquit Jornandes) *Leonis, vel Zenonis inſidias, quas contra eum direxerant, præcaveret, egit ut Orientale Imperium Oſtrogothæ, Heſperium Uveſegothæ vaſtarent; ut in utraque Repub. hoſtibus decernentibus, ipſe in Africâ quietus regnaret.* Neque ab hoc concilio diſceſſiſſe traditur Hunnericus, qui non diuturni Imperij ſpatia tàm in ſuos, quàm in Catholicos Epiſcopos perſecutionem movendo conſumpſit. Adeo ut ſola Africa, finitimæque Inſulæ feritatis ejus Luctuoſum theatrum extiterint. Quid igitur? Hunnerico nihil in regiones noſtras moliente, ab Evarico illarum tunc nefando invaſore adverſa illa paſſas eſſe Eccleſias, quæ earum tabulæ commemorant, aſſerendum ſupereſt. Quod enim ad an. currentis ſæculi XCIII. hoc duorum Præſulum Martyrium locatum ſit, quo tam Evaricus, quàm Hunnericus divina urgente ultione, dignoque factis exitu, ante annos novem ſublati fuerant, facile potuit in annorum conſignatione, unius X. numeralis nota irrepere; aut Cifra Barbarica 8. in 9. ab exſcriptore converti, ut, cædem illam, circa *an.* LXXXIII. quo adhuc Tyrannus rerum potiebatur, imò & fortè ante annos aliquot (quod circa tempus Antipolitanus Antiſtes paſſus eſt) contigiſſe, ſit plane credibile. A quâ chronologiæ ſtabilitæ ratione, nec de Leontij Martyrio fides, & traditio abhorrerent; imò, quantùm conjicio, aliæ huic pondus, hæc aliis viciſſim auctoritatem præſtare videretur.

Etenim cuinam vel mediocriter in Hiſtoriæ notitiâ verſato grave non videbitur inſignium quatuor Eccleſiarum finitimarum, & inter ſe tàm territoriis, quàm peculiaris neceſſitudinis confæderatione conjunctarum, fidem, traditionem, monimentorum autoritatem, utraque rationi temporum, coætaneorum Scriptorum aſſertionibus apprimè cohærentia, mirâ

hùc

hùc conſenſione referri; ut intra annos plus minùſve decem, ſingulæ ſuos Præſules fatali tyrannorum mucrone interiiſſe teſtentur. Eorundem, profectò, quos eadem tempeſtate, in Provinciâ rerum potientes uno ore omnes Hiſtorici nobis propalant, Imperio ad feritatem, & Catholici nominis excidium abutentes; quique alios exilio, alios carceribus, alios morte, in ejus execrationem identidem malè mulctabant. Inter eos ſanè præcipuus fuit Evaricus, non tàm Gentis, quàm ſectæ ſuæ ex Sidonio Princeps; *qui* (teſtante etiam Gregor. Turon. *lib. ſec. cap.* XXV.) *truncabat paſſim perverſitati ſuæ non conſentientes, Clericos carceribus ſubigebat, Sacerdotes, alios dabat exilio, alios gladio trucidabat.* Et hunc ipſum quidem Evaricum niſi quædam præfatarum Eccleſiarum Chartularia exprimerent, cui alteri ex Gregorij Turon. Sidoniique jam inſertis teſtimoniis, hæc ſtrages potiori jure imputaretur? Sanè ego quoque libentiùs ad hanc ſententiam acceſſerim, ut ab hac SS. Conſacerdotum conterraneorum Societate, paſſionis tempore, cauſæque ratione Leontium noſtrum non divellam, cùm ab eâ, nulla diſcrepent; ſed omnia quæ hucuſque nacti ſumus, coeant. Scio plura deſiderari, ſcio equidem & doleo, namque (quod olim Prudent. mœrens retulit.)

Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit
Ne tenacibus Libellis
Erudita ſæcula
Ordinem tempus modumque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.

Etenim, ſi ita fas loqui, in fatis poſitum eſſe videbatur, ut hæc poſterorum notitiam fugiſſent, cum Sidonius ille incomparabilis, cujus aureæ lucubrationes meliorem documentis, quæ in Eccleſiarum ſcriniis diligenter aſſervabantur, fortunam ſortitæ, utpote invidiæ malignorum, & edacitati

temporum ſuperſtites; ille, inquam, lugendæ illius in Aquitaniâ, & Narbonenſi à Uviſigothis excitatæ tragediæ ſpectator, eloquio nervoſus, facundiâ vividus, auctoritate ſpectandus, argumenti copiâ, & nobilitate ad eam deſcribendam aliquando excitatus, mox tamen, ejus fortè ubertate, aut aliâ ratione deterritus, ab hoc labore manum retraxerit: adeo ut nec eorum nomina, qui, infauſtis illis temporibus, in fidei defenſionem, Tyranno cervices ſubjecerunt, poſteritati reſervarit Nam *Epiſt.* XVI. *lib.* IX. ubi SS. illorum Galliæ Patronorum geſta perſequi velle teſtatus eſt, laudato unico prioris ætatis Saturnino Tolozatum, reliquorum myriades, hoc tetraſtico leviter deſignavit.

Singulos quos nunc pia nuncupatim
Non valent verſu cohibere verba,
Quos tamen chordæ nequeunt ſonare
Corda ſonabunt.

Quò vides cauſari hîc metri rationem ſingulorum nomina cohibere non poſſe: ſed nec eos poſtea ſolutâ oratione ad nos tranſmiſit.

Quis hîc modò inficialis, ut vocant, argumenti robur attollet, ut ex Scriptorum coætaneorum ſilentio, Eccleſiarum fidem in erroris, falſitatiſque ſuſpicionem revocare poſſe cenſeat? cum ſcriptor συγχρόνος quæ viderat, audierat, quorumque pars magna fuerat, calamo in alia cumulatiſſimè excurrente, ſcripto committere majori ex parte neglexerit, reliqua manu tam illiberali tradiderit; ut ſubpares Scriptores, quos hæc attingere inſtituti ratio cogebat, nonniſi ex illius, ut videtur, fide, quæ protulere mutuatos, maximis oblivionis involucris horum temporum geſta conſepulta, derelinquere, ingrata prorſus fuerit neceſſitas. Sanè niſi ſuam magnus Si-

donius tàm teſtatam prodidiſſet incuriam, quis ex tritis abnutivi argumenti principiis, in Eccleſiarum traditiones non conclamaret, quod, ſcilicet, illis neutiquam æqualium Scriptorum, vel ſubparium ſuffragaretur auctoritas, cùm tamen in re præſenti, ex ejus ratione non tàm facti fides atteritur, quàm adſtruitur, & roboratur: ut hînc videas quo ſeveriori examine, æquâve judicij lance id generis argumenta adhibenda ſint.

CAPUT XXIV.

Forojulienſis Eccleſiæ traditioni rejectum ad Evarici regnum Leontij Martyrium non præjudicat: Et ex aliis conjecturis roborari videtur.

SED nunquid exiſtimabit aliquis, ex his quæ elucidare tentavimus majorem Eccleſiæ noſtræ traditioni obſcuritatem infuſum iri, cum hæc Leontij in Africam, ſeu tranſmare deportationis vulgatam hùcuſque aſſertionem infringant? At neque ex eo labefactatur hiſtoriæ fides, cum enim (ut ſupra ex Jornande retulimus) Africanos Tyrannos inter & Evaricum interceſſiſſet neceſſitudo, quam in Catholicæ religionis perniciem commune ſtudium, maximam fecerat; tam citò potuit Evaricus Leontium in Africam, aut aliam proximam regionem, quam ipſi Africani Principes cotidiè Epiſcopos ex Africâ in Tranſmarinas Provincias deportari mandabant. Nam & in Galliarum partes uſque, quæ Evarici ditionis erant, Eugenium illum ſanctiſſimum Africæ Primatem, exiliis, & cruciatibus innumeris ſemper invictum, hunc, inquam, in Albigenſem Civitatem relegatum ab Hunerico, ſeu veriùs Gundabundo ſucceſſore notat Gregor. Turon. *lib. ſec. Hiſtor. Franc.*

cap. III. in quâ & eodem teſte, diem clauſit extremum, magis, ut mihi videtur, glorioſo illius exceſſu, tumuloque nobilitata, quàm noviſſimo illo Eccleſiaſticæ Metropoleos apice, quo eam decorari curavit Ludovicus Magnus, in gratiam digniſſimi Præſulis Hyacinti Serroni, viri cujus animi dotes, virtuteſque, exquiſiti quàmlibet honorum tituli nunquam ſatis pro merito munerabunt. Sanè juſſio illa, eâ non fuiſſet moroſior, quâ procax Tyrannus duos SS. Provinciæ Præſules hoc inſolenti exilij genere mulctavit, ut unus longè patriæ finibus exactus angeretur eam non videre, ad quam repedaret: alter juxta eam poſitus ægrè ferret videre, quò redire non liceret. Quod ſic elegantèr ſuo more exprimit Sidonius *Epiſt.* VI. *lib.* VII. *ad Baſilium*: *Taceo veſtros Crocium, ſimpliciumque, quos ſimilis exilij cruciat pœna diſſimilis; namque unus ipſorum ſe dolet non videre quò redeat; alter ſe dolet videre quò non redit.* Hos Epiſcopos Provinciales dixi: non enim Baronio aſſentior, qui ad *an.* CCCCLXXV. Simplicium illum Bituricenſem Metropolitam fuiſſe contendit; ad cujus electionem evocatus Sidonius, concionem de ea ad populum habuit, eodem *lib.* VII. Epiſtolarum conſignatam: quod nequaquam ſuſpicari cogitavit Sidonij eruditus Scholiaſtes Jo. Savaro, qui ignotas ſibi Antiſtitum Cathedras profitetur; in Aquitaniâ tamen quærendas eſſe ſentiens, cui etiam in eo tam parum conſentio. Etenim cùm Epiſtolam illam ad Baſilium Aquenſem Epiſcopum gregi ſuo tunc incubantem, directam eſſe compertum ſit (quod tamen non aſſecutus fuerat Savaro) quis non videt hoc orationis contextu: *taceo veſtros Crocum, Simpliciumque collegas*, &c. exilium de vicinis Aqui-Sextienſi Civitati, & quaſi conterraneis intelligendum eſſe? Si enim Aquitani illi fuiſſent, potiùs ſuos ſeu noſtros dixiſſet Sidonius; quippe qui & ipſe Arvernenſis Epiſcopus Aquitanicæ Metropoli primæ parebat, ſuoſque congruentiùs nuncupare poterat, quàm Provinciales, à quibus illi latis terrarum ſpa-

tiis ſejuncti noſtris minùs fuiſſent noti, quàm ut Sidonius tam leviter, ſtrictimque illorum cauſam pertractaſſet. Quod momentum in lucem protuliſſe non extra rem fuit; cum ex increſcente Provincialium noſtrorum Præſulum pro fide extorrium numero, planior ad Leontij exilium, ad traditionis vulgatæ normam, ſtatuendum ſternatur via, & fides increſcat.

Sed eſto per me non in Africam, ſed in aliam regionem Pontificem relegarit Evaricus, dùm Martyrij ejus illæſa perſtet aſſertio, per ea quæ congeſſimus rationum momenta: ex quibus omnibus cùm quædam duntaxat ſubodorari potuerint viri de re literariâ benè meriti Illuſtriſſimus Tullenſis Epiſcopus, & Provincialium Antiquitatum indagator haud indiligens Honoratus Bucheus; ille in tabulis Martyrologij Gallicani duos Leontios, unum Martyrem ad Kal. Decemb. alterum Confeſſorem ad XVI. Novemb. ex fide, ut vides, *Martyrol. Monaſt. S. Sabini*; hic in ſerie Epiſcoporum Forojul. *quam lib.* IV. *ſuæ Chorographiæ* exhibet, duos itidem ultrò Leontios admittunt; in quam propiùs ſententiam adire non diſſimulat *Lud. du Four in ſuo Leontio*, ne quis ad illam Majorum auctoritate deſtitutam, me primum conjecturis meis facem prætuliſſe cauſetur, quam ſecus alij ante me non hæſitanter, ſed tamquam certam protulere. Atque haud ſcio an quid ſimile innuere voluerit V. Cl. Ludovicus Morerius ſuo nomine ſatis celebris, qui in *Dictionario ſuo Hiſtorico*, tàm variæ, quàm exquiſitæ eruditionis promptuario, Leontium Epiſcopum circa finem tantum V. ſæculi floruiſſe penes ſe certum habere dicit: prætermiſſis utique ſententiæ ſuæ momentis, quem ideo enixè precamur hæc liberaliùs communicare, in ampliſſima illa ejuſdem libri editione quam parat; ſi tandem ſuum, hoc eſt viri in omni doctrinæ genere verſatiſſimi, de duobus Leontiis, judicium cum noſtro cohæreat.

Sed ſivè ille id duntaxat inſinuare, alij explicatè aſſerere

voluerint; quid Eccleſiæ utilitati deperit, quin potiùs quid magis ad ejus ſplendorem confert, ſi ex delibatis argumentis, & de veritate lucrum, & de ſanctiſſimo Præſule ſub propriâ perſonâ primùm cognito compendium referat? ſic ſane inſignis Lugdunenſis Metropolis pro unico, duos noviſſimè Eucherios colit: facile namque pronumque fuit, ut ineruditis ſæculis Præſules illi inter ſe primùm confuſi mox in unum coaluerint, innatâ rerum viciſſitudine, quâ ſæpiſſimè unius fama alterius ſplendorem vel obſcurat, vel obruit ſui magnitudine. Eucherius itaque ſenior, Honorati & Lirinenſiûm familiaritate, Caſſiani laudibus, propriis lucubrationibus, nobiliſſimoque illo natorum pari, cui nullum par, celebratiſſimus, nimiâ illà ſui claritudine ſuccedentis ſibi in Lugdunenſi Cathedrâ alterius Eucherij veſtigia, multis progreſſu temporum rerum documentis aut conſumptis, aut depravatis penitus obliterare facilè potuit. Atque hæc poſt multas evolutas annorum centurias, primùm manifeſta feciſſe gloriatur ætas noſtra poſtera, reclamantibus tamen, ut audio, quibuſdam eruditis Scriptoribus, quorum hîc rationes expendere, nec loci, nec inſtituti ratio patitur. Neque enim tam hîc quod certiſſimè factum eſt, quàm quod fieri potuiſſe omnes conveniunt, & multi factum putant, inquirimus. Nam & ex plurium ſententiâ Paulinus noſter Aquitanus, nobilitate, dignitatibus, divitiis, horumque omnium contemptu nobilior, à SS. Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Severo Sulpitio, Gregorio, Sidonio Eucherio, Proſpero, aliiſque omnis ætatis Scriptoribus miris encomiis celebratus, ſubſequentis Paulini junioris Epiſcopi, Sanctimoniâ inſignis geſta ſuorum pondere, vel ſplendore obtenebraſſe exiſtimatur, ut, quæ uni ſingularia erant, alteri facilè adſcripſerint. Etenim ut rem in exemplo ipſo, de quo agimus, ponamus: Quiſnam, quæſo literatorum hominum huic facto ſubparium, imò & fermè æqualium, exterorum

præcipuè, cujus ad aures memoranda illa Paulini deditio pervenerit, qui præſentaneâ adhùc & conclamatiſſimâ Paulini Galli & conſularis memoriâ occupatus, quamque in tot tantiſquè SS. Patrum operibus commendatam demiratur, hoc illi continuò facinus adſcribere non meditetur? Quod ſi leviores conjecturæ, incerta fama, aliaque etſi minus explorata eò convenire poſſe alij deprehenderint; tamquam pro aris & focis in ejus tutelam decertabunt, atque iterum ut ait Prudentius,

Sic obſervatio creſcit
Ex atavis malè parta deinde ſequutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus ducta.

Hoc ſanè diurno experimento tam compertum eſt, quàm quod maximè: unde & alterum inſigne rei exemplum in ipſo Leontio habemus ad manum. Etenim Præſul iſte Honorati neceſſitudine, eoque quod in hoſpitem & Lirinenſes ſuſceperat patrocinio, Hilarij egregia commendatione, multis virtutibus, probatâque ſanctitate omnibus venerandus, adeo in ſe poſteriorum Scriptorum animos, & ſtudia concitavit; ut quotquot, quo floruit ſæculo, ejuſdem nominis Præſules, honorum laudumque titulis decorati ſunt, hos ipſos uno ore Leontio Forojulienſi poſteri tribuerint: ut tota diſſertationis hujuſce ſerie demoſtravimus. Quod ſanè non aliâ ratione contigit, quàm quia iſte multis nominibus celebratus, hiſque (quod de ipſo S. Paulino ſcripſit Uranius Presb. *ad Pacatum*) *quaſi lucerna ardens, in domo Dei ſuper candelabrum conſtituta, multas etiam lucernas, ſuo præclaro lumine reddens luminoſas*, adeoque ſui radios, & ſpecies latè diffundens omnium oculos in ſe convertit: alij ex Scriptorum ſilentio minus noti, & decurrente ævo quaſi tenebrarum modio involuti, vix ac ne vix quidem ſeris nepotibus ſub aſpectum ceciderint.

Quæ quidem vehementiùs etiam ſuadent, ſic prorsùs omninò Leontij noſtri ſenioris famam, quæ, pari, quo Lirinenſium nomen, gradu, in totum Orbem ſpargebatur, (etenim Honorati mirabile celebratumque inſtitutum citra Præſulis ejuſdem fautoris, propagatoris, & alterius parentis laudem innoteſcere non poterat) faciliùs in partes ſuas traduxiſſe quæ poſteriori Leontio propria erant. Contigerant quippe in illa infauſta temporum Periodo, quâ Tyrannorum prævalente feritate, & in Catholicum nomen furenti odio, patria Provincia adeo in Sacris, profaniſque (ut notavimus) contrita fuerat; ut hæc ad ejus calamitates non minima acceſſerit, quod eas deterrente magnitudine, numeroque, literarum monimentis ex profeſſo conſignare nullus tentaverit. Eò igitur procliviùs, quæ minus de hoc infelici ævo explorata erant, (ut hominum genio ardua, & obſcura refugere, in planiora declinare innatum eſt) ad paulò anteriùs, idque magis cognitum, multiſque, Hiſtoricorum operibus divulgatum revocaſſe, licitum poſteri crediderunt. Sic obſervat Illuſtriſſimus Petrus de Marca *Epiſt. apud J. Bordenave Laſcurr. Canonicum, in opere de Eccleſiis Cathedralibus*, S. Galactorium Laſcurrienſem Præſulem, ſub Uviſigothis paſſum, in Cartulariis Capituli à Uvandalis Martyrio affectum exhiberi. Quidni & hæc pariter cauſa fuit cur architecti Scriptionis illius, quæ ad calcem Fauſti operis, *de inſtructione Monachorum* inſerta eſt, & ejus quæ circumfertur S. Honorati vitæ, in eadem prorſus tempora, Lirinenſis Monaſterij excidium, & S. Porcarij paſſionem reduxerint. Tam altè enim Uvandalorum crebræ, latèque diffuſæ piraticæ incurſiones cunctorum animis infixæ erant; ut quæ longè poſthac Saracenorum invaſio (de qua memoria omnium obſcurior) confecerat, ad hanc ſimiliter epocham traducta fuerint. Quod minùs Hiſtoricos verſanti ſingulare videbitur, cum apud pleroſque auctores Gothi, Hunni, Alani, Gepedes, *&c.*

Uvandalorum

Uvandalorum nomine veniant: quæ haud dubiè incautos interpolatores deceperunt.

Adjicio denique quod cum Leontij junioris Martyrium circa *an.* CCCCLXXX. collocandum veniat, ante quod tempus illi deceſſerat Aſterius ante annos quindecim, ex Concilij Romani actis Forojulienſis Epiſcopus recognitus, non repugnant tabulæ, quin poſt eum ſederit Leontius. Imò inter nomina Epiſcoporum quibus à Fauſto Reïenſi Lucidi retractatio inſcripta fuit, quamque in hæc tempora conjiciunt eruditi, Leontius quidam recenſetur, quem Forojulienſem extitiſſe à veriſimili non abhorret, cùm omnes fermè qui commemorantur fuerint Provinciæ Narbonenſis Præſules: ut ex earum Pontificiis elenchis compertum eſt; quorum tamen nullus, quod hactenus viderim, Leontium his temporibus exhibet. Quæ extemporanea animadverſio revocat in memoriam, aliquam primæ Narbonenſis, & niſi fallor, Nemauſenſem Sedem hîc tempeſtate Crocum Epiſcopum Chronologicis ſuis tabulis intexere, in illa etiam Lucidi confeſſione renuntiatum, quem ab eo diverſum non exiſtimo, qui ab Evarico Cathedrâ pulſus, à Sidonio commendatur, Epiſt. de qua ſuprà: ut etiam ex eo extorres illos duos Præſules, non in Aquitaniâ, ſed in ſolidâ Narbonenſi quærendos eſſe exploratiùs remaneat.

Hæc ſunt quæ in hanc Sententiam proponere ſtatueram; quam etſi liberiùs fortè protuliſſe aliquibus videri poſſim, quàm initio deſtinaveram: dicam ingenuè mihi ſenſim progrediendo, aliarum rationum minùs tum perſpectarum pondere quaſi aggravato, in eam non propendere non fuiſſe liberum: appoſitè enim *Cicero Sec. Acad. Vt neceſſe eſt lancem in libra ponderibus appoſitis deprimi: ſic animum perſpicuis cedere.* Sciant tamen velim, me tam citò in adverſam convolatum ire, ſi hanc potioribus argumentis infirmaverint: cum finis, & ſcopus alius non ſit, quàm veritatis aſſecutio.

Sed quando ex S. Paulini occaſione diligentis illius illuſtratoris R. P. Franciſci Chiffletij è Societate Jeſu Theologi facta fuit mentio; præterire non poſſum præfatum auctorem, hujus ſui operis *parte prima cap.* X V I I. in quo de Eucherio Lugdunenſi agit, exiſtimare eum è Lero Inſula, ubi priùs degerat, in Continentem ſeceſſiſſe: *ob eas*, inquit, *irruptiones Barbarorum in Phocenſis Provinciæ oram maritimam, ac vicinas inſulas, quæ S. Leontium Forojulienſem Epiſcopum, exiguo duntaxat intervallo à Lero, & Lerino Inſulis diviſum circa an.* CCCCXXXII. (*ut alibi probavimus*) *Martyrem effecere.* Quæ quidem jam congeſta divellerent, & vulgatam traditionem ſolidarent. At ubi hæc probata fuerint, nondum aſſecutus ſum; hæcque tantum privatis elucubrationibus attigiſſe magis crederem: cùm nil tale in publicis, quæ ad manus pervenerunt adverterim, fidemque mihi præſtent alij, has de Martyrio S. Leontij probationes, in nullis ejus operibus extare.

CAPUT XXV.

De ſacris Leontij Martyris Reliquiis.

Ecclesiam majorem Deo ſub Beatæ & Glorioſiſſimæ Mariæ Aſſumptæ titulo ab initio ſacram ſub Leontij itidèm Martyris invocatione dicatam fuiſſe decurſu temporis, plura notæ optimæ documenta probant, inter quæ diploma donationis à Guillelmo Comite factæ, & multoties ſupra memoratæ ſub finem decimi ſæculi meritò reponendum. Memoratur enim in eo luculenter *Eccleſia B. Mariæ, & B. Leontij*, quem ideo potiùs Martyrem, quàm Confeſſorem, (ſi tamen diverſi fuerint) extitiſſe, cenſere cogimur, ex eo, quòd mos eſſet antiquitùs Eccleſias ſoli Martyrum memoriæ conſecrare. Unde & ſingu-

lare fuit Turonenſium facinus, qui priores S. Martino Confeſſori Baſilicam adſcripſiſſe leguntur. Et hæc quidem de Majorum noſtrorum erga Leontium Martyrem cultu exhibito; at de illius Reliquiis nil certi hucuſque ad nos pervenit.

Etenim haudquaquam ſubſcribendum putamus commento, quod in Hiſtoriâ Provinciæ Honorati Buchei legimus; nimirùm B. Martyris Sepulchrum, in Eccleſiâ majori Calaritana Sardiniæ, hâc appoſitâ inſcriptione etiamnum viſi. *Hic jacet S. Leontius Epiſcopus Forojulienſis.* Hoc certè (ut ait etiam P. du Four *in ſuo Leontio*, qui prior huic fabulæ fidem dederat) rem conficit, & nullo negotio Eccleſiæ noſtræ traditionem firmat. At quod ego vidi, ſilere nec poſſum nec debeo. Namque, ut monet Auguſtinus *lib. de vera Religione cap.* LV. *non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris: melius eſt enim qualecumque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt.* Sic autem ſe habet res. Nobilis olim Forojulienſis inſtitor in Sardiniâ degens, laudabilique in Sancti Patroni memoriam zelo & devotione flagrans, ut acceperat à Majoribus, illum in tranſmarinis regionibus feciſſe Martyrium, facilè credidit, videns in Eccleſiâ majori Calaritanâ ſepulchralem hanc inſcriptionem. *Hic jacet S. Leo Martyr.* Facilè, inquam, ille, ut erat imperitus, perſuaſit ſibi ibidèm Sancti Martyris noſtri corpus jacere, continentèrque ab Reverendiſſimo Archipræſule brachium illius, cum debitis teſtificationibus obtinens, Forum-Julij ſummâ diligentiâ, deduci curavit. Recepit quâ par erat veneratione Sacra Lipſana Capitulum; at ex autographo Pontificio rei veritatem edoctum: quod eâ cautione dare vellet Guillelmus Augerius (erat hoc inſtitori nomen) ut ſub S. Leontij Forojulienſis Epiſcopi, & Martyris nuncupatione, fidelium jam, de tam inſperatâ inventione, mirum in modum exultantium cultui exhiberentur, conſtanter, licet ignaris obmurmurantibus, renuit. Inde tamen evenit, ut ſperans aliquis fore ut minus intentos

haberet aliquandò Eccleſia exploratores Canonicos, putidâ audaciâ, loco Leonis, mutato i, in t. & s. in i, alioque ſubaddito affinxit Leontij nomen in Autographo; utque facile inventis additur, Forojulienſis Epiſcopi nomen, quod deſiderabatur, ab Hiſtorico Provinciæ illigatum eſt fabulæ. At utrumque quàm imprudentèr, quàm inſulsè? Sit legentis judicium.

Attamen quò neuter illorum de mendacio tam ſplendido in futurum lucrari poſſet: Petrus Antelmius literas dedit, cui reſpondet Pontifex *an.* M. DC. XXXIV. linguâ Hiſpanicâ, & à vicario ſuo T. Raxis conceſſi prioris authentici fidem clariùs explicat; tùm neque Martyrem illum, cujus morticinia conceſſerat, Leontij nomine deſignari; neque in Sepulchrali illius inſcriptione, ullam Fori-Julij obſervari mentionem disertè teſtatur. Sed neque illa authenticâ declaratione eidem Petro ſolertiæ ſingularis, emunctæque naris viro factum fuit ſatis. Scripſit rurſus ad P. P. è Societate Jeſu Collegij Calaritani, deprecatuſque eſt eos, ut pro Dei amore, eoque quo in Divini cultus, & Sanctorum gloriæ incrementum ſtudio flammantur, inquirere dignarentur, ſi qui forent in illâ inſulâ, ſub Leontij nomenclaturâ cogniti Martyres, quâ tempeſtate illi vixiſſent, quo munere claruiſſent, & ſe de rei veritate quàm primùm certiorem facere non renuerent. Reſcripſere illi literis ſuis XXVII. Januarij *an.* M. DC. L. his omnino verbis: nuſquam in urbe Leontij Forojulienſis Epiſcopi memoriam obſervatam fuiſſe; atque in illis partibus duorum tantummodò Martyrum ejuſce nominis Paſſionem memorari. *Primus*, inquiunt, *eſt Leontius Martyr*, *quorum reliquiæ repertæ fuerunt die ultimâ Decembris an.* M. DC. XXXIII. *alter Leontius Palatinus dicitur*, *æquè Martyr depoſitus* VIII. *Kalend. Septembris*, *inventus* XXVII. *Junij an.* M. DC. XXXIV. Hæc Patres Collegij Calaritani.

Igitur cum iſta omnia quæ penes nos ſunt documenta invicem cohæreant, priuſque Calaritani Archiepiſcopi autogra-

phum adulteratum (quod non ſemel præ manibus habui , & quidem indignabundus perlegi) in ædibus Monialium S. Bernardi in Urbe conſpicuum ſit, manebunt teſtimonia illa præfatorum Scriptorum , quæ S. Leontij Forojulienſis corpus in Sardiniâ quieſcere aſſerunt , tanquam fabulis, & ſuppoſitionibus innixa , in futurum proſcripta. Præfatorum Scriptorum teſtimonia dixi; qui enim probatiora exhiberet, hæc à me ambabus, quod aiunt, ulnis ſuſciperentur; exilium enim , imò & Martyrium hac in Inſula ſubire potuiſſe Leontium non inficior; ſed adducta hucuſque in hanc ſententiam documenta falſitatis poſtulo. Non enim fugit me Sardiniam Inſulam illam fuiſſe beatiſſimam, in quâ innumeri pro fide extorres Epiſcopi, Uvandalico furore ſedibus eliminati, horum alij Martyrium , alij Martyrio æquiparandam mortem ſubierunt : ſed & numeroſiſſimos illos Sanctorum cœtus , patrium ſolum vertentes, in hanc Inſulam, Sacratiſſima Martyrum buſta, quos Uvandalica perſecutio ab annis retro ſeptuaginta demeſſuerat, revehere vehementer fuiſſe ſollicitos, hoc præcipuè anno, qui ex Baronij calculo fuit DIV. quo Africani quondam fulgentiſſimi ſyderis Auguſtini corpus inter illa tranſlatum fuit. De quibus piè, ſuo more, idem Eminentiſſimus Annaliſta : *Nobilitata tunc planè eſt inſula illa, inter beatas ob id verè connumeranda, tot coronis Sanctorum Epiſcoporum illuſtrium Confeſſorum : ditata eſt, & ſacris Venerandiſque reliquiis ab eis ſecum allatis , digna tantis vectoribus ſarcina.* Potuiſſent itaque Sancti Patroni veneranda Lipſana illis contribulum adjungere, quem & verè contribulem agnoſcere par erat : (ut enim egregiè docet S. Gregor. Nyſſen. *Orat. de S. Theodoro*) *patria Martyris eſt etiam locus paſſionis, Cives enim, & fratres, & cognati, qui & habent eum, & tuentur, & ornant, atque honorant.* Ex Africâ igitur in Sardiniam delatum eſſe , cum innumeris popularium illorum reliquiis non modo rursùs non abnuo , quin & illud propius vero crediderim , graſſantibus

in Inſulam Longobardis, & Saracenis, vel altiùs ſacros cineres in terram defoſſos, vel intra cæmenti muros reconditos, vel ſaxorum prægrandium aggeribus obtectos, quæ ſingula Sardos piâ induſtriâ diligentèr præſtitiſſe, ut imminentem eorum jacturam, vel profanationem anteverterent, fusè obſervat Pintus *lib. ſuo* III. *de Chriſto Crucifixo tit.* IV. *loc.* XII. rei profectò teſtis idoneus, quippe qui ab Illuſtriſſimo Turritano Epiſcopo Garino, cum aliis viris probatis delectus, ut quam Cathedralis Baſilicæ reliquiarum inquiſitionem decreverat, ſuâ præſentiâ cohoneſtaret. Quæ quidem & felicibus auſpiciis tentata, & ingenti fœnore promota fuit; namque probatiſſimis indiciis SS.Martyrum, & Confeſſorum, tum eorum qui in Africâ, cùm etiam qui in Inſulâ paſſi erant, reperta fuere corpora. Sepulchrales inſcriptiones refert præfatus Auctor, quæ tunc obſervatæ fuerunt, inter quas nulla de Leontio noſtro memoria; ſed plures adhuc latêre teſtatur, quarum ad nos pervenire notitiam vehementèr peroptamus. Audivi alterum ejuſdem Inſulæ Archipræſulem Franciſcum de Eſquivel Calaritanum, relationem Hiſpanicam publicam feciſſe de Sacris Lipſanis in marmoreis tumulis, in Metropoli Sardiniæ, Calari repertis, quam nondùm vidimus: ſed cùm tàm Reverendiſſimi *Ambroſij Machin* tunc Calaritani Antiſtitis, quàm Patrum è Societate Jeſu declarationes jam memoratæ hac relatione poſteriores fuerint, nil ex eâ in rem noſtram colligi poſſe ſatis patet.

SED juvat hîc gradum ſiſtere, dum enim tanti theſauri particulis nudatam Civitatem exhibere cogit nos veritatis ſtudium, majori nunc fœnore integris mortalitatis Leontij exuviis ditari detecta nunc primùm probata monimenta luculentèr inſinuant. His enim jampridem conſignatis incidi in quoſdam codices MS. membraneos V. C. in quibus extant Lectiones de vitæ actis S. Leontij Epiſcopi, & Martyris Kal. Decemb. in quarum poſtremâ, quæ in rem noſtram facit, (de

aliis enim agetur alibi) hæ ad verbum leguntur : *In conſpectu ejus honoremus etiam corpus illius : quia pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Commemoremus paſſiones ejus, & ſic in loco ſancto Reliquiarum illius, celebremus gloriam triumphi ejus.* Hæc præfatum legendarium, quæ quidem penè evincunt longè antea B. Præſulis corpus è tranſmarinâ, ubi Martyrium fecerat, regione, in urbem deductum ; indeque haud dubiè, noſtris, Lingonenſium grati animi facinus erga Deſiderium ſuum, agone conſimili amorem in gregem rependentem, æmulantibus, in Eccleſiam primum, ſicut & ipſi, Deo ſub ejus invocatione conſecratam retulerint. Unde & in ipſis fortè ejuſdem majoris Baſilicæ ſubterraneis latibulis S. Patroni veneranda morticinia, feliciùs quàm in Sardiniâ & Africâ reperirentur ; quod hæc illinc reducta, graſſantibuſque Gothorum, Longobardorum, & Saracenorum incurſionibus, intra templi ambitum recondita fuiſſe potior ſuſpicio ſit. Quæ perſcrutari haud ſcio an ullum operæpretium foret : rei ſanè periclitatio non illaudabillis ; ſi enim, referente Alexandro *lib.* III. *cap.* II. militum in pugnâ cæſorum *disjecta membra paſſim, ſtrata exquirere, & humo tegere, defunctoſque in acie tumulo publicè extructo, quotannis pro concione laudare*, magnæ curæ, ſummæque religioni fuerit Athenienſibus ; quantò plus Chriſtiano gregi, Ducis, & Choriphæi ſacratiſſimi, veri Paſtoris exemplo, in ejus ſalutem ſe impendentis, exilioque, & fidei confeſſione, ſanguine ſuo obſignatâ, ſummum in utrumque amorem teſtificantis, in ſtudiis eſſe debet, ſacros ejus cineres, reverendaque pignora perveſtigare, ut ex ære publico, elato tumulo, ex auro & gemmis conflando charitatem in Patres omnium maximam, imparibus quidem, ſed intimis perennis venerationis officiis, filij repenſent.

Porrò cum hæc de duobus Leontiis diſquiſitio eodem tenore ſermonis tractanda fuerit, clarum eſt, quod ſi verè toti-

dem extiterint, Præſulum ſeriem & temporum ordinem paulò anteverti nus: de eo ſiquidem qui Leontium ſeniorem excepit poſt annum CCCCXXXII. priùs tractandum erat, quod modò, haud ſcio an abſque ullo moræ præjudicio, exequemur.

CAPUT XXVI.

Forojulienſium vota in Maximum Lirinenſem, & eorum in Inſulam appulſus: eidem fuga elapſo ſufficitur Theodorus.

EX quo Leontij fatalis dies Forojulienſibus innotuit, illis prima curarum fuit, ut in demortui Beati Paſtoris Sedem eum Antiſtitem ſufficerent, qui ſuæ ſplendore virtutis extinctam illam (ut habet Legendarium) ſanctitatis lucernam redaccenderet, diſciplinæque ſtudio, & in gregem commiſſum charitate ſuppar foret. Ut enim ſcitè & eleganter S. Chryſoſt. *de Tranſlat. S. Ignatij. Cùm lapis è ſtructura tollitur, illi magnitudine ſimilis collocandus ibidem eſt, ne quid vacuum in pariete maneat.*

ERAT eò temporis Lirinenſe Cœnobium, nedum in vicinia, ſed in toto jam fermè orbe celebratiſſimum. Recipiebat plana illa Inſula, Eucherio & Cæſario teſtibus, glorioſos omnes *à ſeculo transfugas, & quos filios patres, quos parvos, magnos, quos tyrannos, Reges reddebat. Pretioſa in his ſuavi unguedine alabaſtra flagrabant, ſpirabat paſſim odor vitæ; interioris hominis faciem, exterioris habitu præferebant: conſtricti charitate, humilitate dejecti, molliſſimi pietate, firmiſſimi in ſpe, inceſſu modeſti, obedientia citi, occurſu taciti, vultu ſereni; & qui prorſus, ipsâ protinus contemplatione, Angelicæ quietis agmen oſtendebant.* Eminebat inter eos Maximus, non tam dignitatis, quàm ſanctitudinis merito cæteros

Antiſtans.

antiſtans. In eum oculos conjiciunt noſtrates & in Antiſtitem deſignant, rati ſapienter, eum qui dignus fuerat, ut illi primus fundator Honoratus gubernacula Lirinenſis navis poſt ſe gubernanda committeret, jam jam fore digniſſimum, qui hâc exercitatus paleſtrâ, Forojulienſis clavum ſuſciperet poſt Leontium.

Adit igitur Lirinum populus, ſacerque Clerus, hâc potiſſimùm ſpe confiſi, Aſceterium planæ illius Inſulæ, quæ jam tot in cælum montes emiſſura parturiebat, quodque ſuis in cunabulis paterno ſinu complexus fuerat Leontius, haud gravatè Alumnorum ſuorum primitias ſuæmet matrici Eccleſiæ, vectigali quaſi jure, repenſum ire, quos omnibus Gallicanis Eccleſiis erogare feſtinabat. Et quidem non abnuiſſent Lirinenſes, ni ipſe Maximus rem ſubodoratus, ſuorum ſe conſpectui ſubducens, noſtrorum diligentiam prævertiſſet. Placet hîc rem totam ex Fauſti oculari illius teſtis, elegantibus verbis deſcribere, ne ſtyli inconcinnitate, cum terſior ſuppetit, narrationis ſeriem videar deterere. Sic autem ille, in oratione panegyricâ S. Maximi, ſuperiùs laudata: *Ambibat Maximum proxima Eremo Civitas, quæ inter locum hunc & inſulam, ut noſtis, interiacet. Qua ille ſuſpicione percuſſus, triſtem parat egreſſum & longinquum meditatur Exilium: ſed repentino occupatus adventu inſiſtentium Sacerdotum, petiit (quod licuit ad momentum) amica ſibi ac negotio condenſa ſylvarum. Irruentibus fidelium turmis, ventilantur univerſa, profunda eremi ſecreta verſantur, ſub nudo axe cæli, trium dierum, ac trium noctium imbribus verberatur, ſicut & ipſe ſum teſtis, videntur mihi quoque nimbi inquiſiſſe latentem. Mœret cuncta inſula periculum Patris: plus jam in eum expaveſcit injuriam, quàm rapinam. Gratias inter hæc cæleſti diſpenſationi, pro ſuis meritis queritur, pro veſtris* (ad Regienſes loquitur) *non invenitur.* Huc uſque Fauſtus, ex cujus quidem aſſertione Maximi ne humilitas, an Forojulienſium pietas, & in illum propenſio potior fuerint, non facile fuerit definire; ut-

R

pore quem triduo integro latitantem, tribus totidem diebus & noctibus, eumdem numeroſus popularium cœtus inquiſiverit; quin tamen repentinus, nec interruptus imbrium impetus, vel timentem educeret, vel ſui ſtudioſas Cleri, plebiſque turmas ab incœptâ perſcrutatione depelleret.

SED illi tandem ex tot factis irritis ſanctis conatibus intelligentes, aliò ſupernam diſpoſitionem Maximum evocaſſe, mærentes ſecedunt. Non diù tamen ſancti ſtudij fervor mercede fraudatur, quam credibile eſt, à ſupremo meruiſſe Paſtore, ut quem elegerat Theodorum, virum præſtantiſſimum tunc illis oſtenderit, feliciorique exitu ad hanc Cathedram ſublimari permiſerit. At quis fuerit Theodorus iſte? quodve inſtitutum ſectatus? an è Clero, vel ex Monaſtica profeſſione ad Epiſcopatum aſſumptus? pauci rem expenderunt, paucioreſque aſſecuti ſunt, proptereaque viſum hîc de eo ſententiam noſtram exponere, cum maximè illius famæ, virtutumque merita ſic præcellant, ut nulla quæ in viri maximi decus referri poſſunt, fas ſit prætergredi.

CAPUT XXVII.

Theodori Inſtitutum ante Epiſcopatum, quod?

OBSERVAVI ſæpius eos, qui res noſtras attingunt, aſſeveraſſe Leontij ſucceſſorem Theodorum, eximium fuiſſe Lirinenſis Cœnobij Monachum; quam in ſententiam Regienſis Chronologus in Maximo, & P. Du Four in ſuo Leontio cap. .... pedibus ïere. At quàm hæc jejuno futilique ſtent fundamento, his paucis habe.

PRIMÒ enim in faſtis Lerinenſibus de Theodoro Epiſcopo nuſquam habetur mentio, ſed tantum de altero cognomine qui apud Chronologum Lirin. notatur Martyr obiiſſe. Secundò Eucherius qui in Epiſtola ad Hilarium de laude Eremi recenſet probatiſſimos qui eo tempore Lerini degebant aſcetas, de Theodoro qui tunc florere debebat ne verbum quidem habet. Sic enim ille: *Hæc nunc ſucceſſorem Honorati habet Maximum nomine clarum, quia poſt ipſum meruit adſciri. Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Benjamin retulit. Hæc habuit germanum ejus Vincentium interno gemmam ſplendore perſpicuam. Hæc nunc poſſidet venerabilem gravitate Capraſium veteribus Sanctis parem*, &c. Theodorum autem tunc indigitaſſet Eucherius, qui quaſi ex profeſſo præſtantiorum Monachorum catalogum texere paraverat, inter quos vix prætermiſſus fuiſſet Theodorus, cujus utpote fama proximè eum ad Epiſcopale ſolium ſublimatura erat. Tertiò denique interceſſerunt inter Theodorum factum Epiſcopum & Lirinenſes acriores controverſiæ, quàm ut illi ſodalitio aliquando nomen dediſſe ſuadeant.

IGITUR ſacro Clero adſcitum fuiſſe Theodorum antequam fieret Epiſcopus, imò & Forojulienſi adſcriptum, quod de

R 2

S. Leontio obſervavimus, dicendi fortè locus ſuppeteret, cum ſtatutum primitus fuiſſet: ut Epiſcopus ex eadem Eccleſia non extraneus eligeretur, quod egregiè urget S. Julius Papa in Epiſcopos Antiocheni conſeſſus, qui Euſebianorum molitionibus Gregorium Alexandriæ Eccleſiæ in S. Athanaſij locum ſubrogaverant, dòcens hanc ordinationem eſſe irritam, quòd præter morem & contra Apoſtolicos Canones in Præſulem elegiſſent *hominem Peregrinum & externum, neque Alexandriæ baptiſatum, neque plebi cognitum, neque poſtulatum à Presbyteris*, &c. quam Epiſtol. require aput Athanaſ. Apol. II. & apud Baron. & Concil. collect. *an.* CCCCXLII. ex quibus ſanè facilis via panditur ad indaganda, dignoſcendaque, hâc tempeſtate, Præſulum ante dignitatem, inſtituta; ſi nimirum ex propriis Eccleſiis ſuſceptos judices, quos diverſum vitæ genus profeſſos eſſe expreſsè teſtatum non ſit. Atque ex eâ regulâ cenſebam Theodorum rursùm, ex Diſcipulo Eccleſiæ Principem factum fuiſſe: at primùm edita à R. P. Jac. Sirmundo Concilij tertij Arelatenſis acta, contrarium elicere & Monachum Abbatemque extitiſſe ſentire cogunt: namque in eâ Synodo, quæ, ob ejus cum Fauſto Lirinenſi contentionem coacta fuit, quò Patres Theodorum ad veniam eidem Fauſto impartiendam inducant, revocant ipſi in memoriam, quòd ipſemet fuerit aliquandò *antiquus Abbas*, ſeu quòd aliàs Monachis præfectus fuiſſet. Ex his autem tam corruit opinio noſtra, quâ eum è Clero, quàm eorum, qui ex Aſceterio Lirinenſi traductum fuiſſe volunt.

ETENIM ſi Abbas fuit Theodorus, alibi, aliiſque quàm Lirinenſibus præfuit. Nemini quippe non notum Honorato Inſtitutori ſucceſſiſſe Maximum, jamque ex Fauſto & Eucherio ſuperius probavimus: huic autem ſubſtitutum eſſe Fauſtum, & probat Elencus Abbatum Lirinenſium, & luculenter teſtatum etiam advertimus ex Sidonio in *Carmine Euchariſtico ad Fauſtum*.

Fuerit quis Maximus ille
Urbem tu cujus Monachoſque Antiſtes & Abbas
Bis ſucceſſor agis, &c.

Cum igitur jam exploratum maneat Theodorum noſtrum Abbatem fuiſſe, prætereaque alios à Lirinenſibus aſcetas rexiſſe; mihi quidem non videretur ille præpoſterè judicare, quinimò, ut aïunt, rem acu tangere, qui ſub præſenti diſcrimine, in eâ regione, hâc ætate, hâc famâ, hâc profeſſione, hoc nomine, Theodoro Abbate indigitato, hunc ipſum fuiſſe, qui Forojulienſibus jus dixerit, exinde conſtitueret. Et ille, tandem, tot titulis dignoſcibilis Theodorus, Monachis in viciniâ Præfectus comperitur, qui tunc in Stæchadibus ſeu Titanicis Inſulis, à Foro-Julij, vix unius diei itinere diſſitis, verſabatur, celebris famæ ſpectatæque virtutis ſenex; quòd ille nedum in Inſulis illis, ſed & in Gallicanis Provinciis Monaſticæ diſciplinæ obſervantiam ſanctiſſimis regulis primus inſtituiſſet. Unde & ipſemet adeo Caſſiano Maſſilienſi, Cœnobiarchæ alteri notus caruſque fuit, ut ultimas ſuas Collationes illi conſecraverit; ſicque qui primitias Leontio, ejuſdem futuro ſucceſſori Theodoro, ultimum laboris illius fœtum exquiſita commendatione detulit; ita enim ille in *Præfatione* XVIII. *Collat. Emenſis juvante gratia Chriſti, &c. totidem & nunc vobis, ô Sancti Fratres Joviniane, Minervi, Leonti & Theodore, credidi deputandas; Poſterior ſiquidem veſtrûm illam (cœnobiorum ſanctam atque egregiam diſciplinam, in Gallicanis Provinciis antiquarum virtutum diſtrictione, fundavit.*

Theodorus igitur Cœnobiticæ ſeverioris diſciplinæ reſtitutor in Galliis fuit, quam S. Martinus, aliique priùs in haſce partes invexerant, ſed quam haud dubiè collabentem, Theodorus iſte antiquarum virtutum diſtrictione quaſi iterum fundaſſe reputabatur.

Atque hic ille eſt tanti nominis Præſul, quem aliàs curſim indigitatum infuliſque noſtris aſſertum, germano nunc titulo fuſiorique argumento Sedi Forojulienſi reddimus, vel ſaltèm longè probabiliori eorum ſententiâ, qui vel è Lirinenſium, aliorumque profeſſione ſuſceptum eſſe contendunt, quamque adeò donec ſolidiori probatione roboraverint, manebunt interim per me integra illa Theodori jura, vindicatumque ante dignitatem inſtitutum.

Cæterum populares noſtros Maximi in Præſulem habendi ſpe dejectos, nullâ in Civitatem diverſione factâ, in proximas Stæchadum inſulas feſtinatò velificaſſe ſimilius veri eſt, quatenùs meliori conſilio apprehenſum, nulla tunc ſuſpicantem Theodorum, ad propria adducerent; ſuoſque Maximi non ante jacturam, quàm iſtius, in nullo fortè ſanctitate inferioris, lucro ſarcitam eſſe docerent. Quàm enim in Aſceterio, tam in Epiſcopatu præcellens, omnique commendatione ſuperior extitit Theodorus, quem tùm continuò ab Hilario Arelatenſi ſacra unctione delibutum exiſtimare cogit, tùm diſciplinæ ratio, quæ Provinciam etiam Narbonenſem huic Metropoli ſubjiciebat, tum ipſa Theodori, aliorumque Præſulum, ad Leonem pro Eccleſiæ Arelatenſis privilegiis intercedentium, teſtificatio, hæc omnino præferens: *Ab hujus Eccleſiæ* (Arelatenſis) *Sacerdote, tàm deceſſores noſtros, quàm nos ipſos conſtat in ſummum Sacerdotium donante Domino conſecratos.*

CAPUT XXVIII.

Theodorus Fauſti Abbatis Lirinenſis auſus compeſcit.

DICTU mirum nec creditu facile: Lirinenſe Cœnobium tantæ pietatis, ut vidimus, Aſcetarum Seminarium, in proprium Antiſtitem Theodorum, annitente potiſſimùm Abbate Fauſto, in ipſis inſtituti primordiis inſurrexit. Iſte namque, quod fortè aut in ejus doctrinam (erat enim Semipelagianæ ſectæ fautor Fauſtus, ſed quam deinceps maculam, ni ſanioris doctrinæ, ſanctæ ſaltem adminiſtrationis ſolicitudine, ſatis ſuperque obliteraſſe non inficior) aut in ſibi commiſſi Aſceterij diſciplinam, ſeriùs quàm optabat animadverteret Pontifex, eò temeritatis & contumaciæ prolapſus eſt; ut ejus poteſtati reſiſtere, alioſque in facinoris defenſionem adducere haudquaquam metuens, & honore dejici & communione privari ab ipſo meruerit. Ingens ſanè inde efferbuit animorum incendium, Fauſtus enim, ut erat, magni quidem, ſed acris verſatiliſque ingenij, inter multos, ſubdolè forſan Maximum Reïenſem & Valerianum Cemelenenſem, ſpectatæ virtutis Antiſtites & quondam illius Cœnobij ſodales, in partes ſuas eò uſque adegerat, ut hæc non magis Fauſti, quàm memoratorum Præſulum cauſa diceretur.

ATQUE hæc, continuâ in dies defenſorum ex utraque parte acceſſione, ſummo Eccleſiaſticæ diſciplinæ decremento fota diſſenſio, majora etiam pericula portendebat, cum Ravennius Arelatenſis Provinciæ Metropolita (quod ejus erat officij) Concilium generale indixit, ut *tantum*, inquit, *remediaret ſcandalum*, quod ſicut atrocitate ſui multos involverat, ita plures qui in Chriſto mederentur expoſcebat. Unde ſanè intelligere

obvium ſit unicuique non eſſe poſtremæ ætatis noſtræ controverſias illas, quibus pro juriſdictionis prærogativa inter Illuſtriſſimos Eccleſiæ Principes, ipſoſque Monachos, forum hactenus mugit inſanum. Hæc fuit ſemper vitiatæ naturæ miſera prorſus deplorandaque conditio, ut plures ad legitimæ obedientiæ ſtimulum recalcitrent, ut non mirum ſit recruduiſſe in hâc ſæculorum fæce diſceptationes & ſchiſmata, quæ ſanctiori vegetiorique Eccleſiæ ætate ſanctiſſimos authores, fautoreſque habuerunt.

CÆTERUM quàm temerè Fauſtus in Antiſtitem præſumpſerit, inconſultèque hujus cauſam tuiti fuerint Valerianus & Maximus, verba illa quæ ad Theodorum habuere Patres in Synodo abundè declarant: illis quippe & Præſulem exorant, ut *differendo in tempora ſcandalum manere diutius non patiatur, ſed potius ad recipienda ſatisfactionum remedia feſtinet;* itidemque conteſtantur quando quidem & *ipſe olim Abbas fuerit, ut indulta Abbati Fauſto veniâ, ipſum in priſtina pace* reciperet, *& ad Inſulam & Congregationem cum ſuâ gratiâ remitteret.* Quæ omnia ex ipſius Concilij actis, notiſque uberioribus *tert. append.* ſubjectis plenius innoteſcent.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Reliqua Theodori geſta : finis & Elogium.

QUÆ, præter jam dicta, de Theodoro noſtro aſſequi licüit, non decet intacta relinquere. Atque ille quidem ex Monaſtica profeſſione ad Epiſcopatum ſublimatus, primi ſui inſtituti cultor eximius ſemper fuit : cùmque Lirinus Urbi proxima extaret, hæcque inſuper ejus paſtorali ſolicitudini ſubeſſet, Aſceterium illud præſentiâ ſuâ quandoque recreabat. Idipſum obſervat luculenter, in vita S. Hilarij Arelatenſis Epiſcopi, S. Honoratus Maſſilienſis, ejus operis germanus auctor, dùm habet, Hilarium Lirini diverſantem tanto Fauſtum Abbatem honore proſecutum eſſe, ut inter ſe *& Sanctos Sacerdotes, Theodorum* (Forojulienſem) *& Maximum* (Reïenſem) *compelleret reſidere.* Quibus omnino adſtipulantur acta vitæ S. Capraſij apud Barralem *I. part. Chronol.* quæ aſſerunt Theodorum noſtrum præſtò adfuiſſe venerabili Capraſio, dùm in extremis verſaretur. Sic enim habent : *in ejus igitur extremis convenerunt glorioſæ & inclitæ memoriæ Sacerdotes, Fauſtus ſcilicet, Theodorus, Maximus, & Hilarius, cujus mentionem jam dudum fecimus.*

DE ejus in Stœchades diverſione nihil conſtat, at virum Monaſticæ diſciplinæ obſervantiſſimum, alumnos cariſſimos ſæpiùs inviſiſſe, gregemque illum, quem ibi priùs inſtituerat, crebro acceſſu & ſalutis verbis, cùm liceret, conſolatum eſſe, ex iſtis ipſis, quæ in Lirinenſes impendebat, paternæ ſolicitudinis officiis, ſibi eò magis quiſque ſuadebit. Nam ut egregiè Fauſtus ipſe in inſtructione ad Monachos Lirinenſes : *quid gravius quàm oblivíſci ſubitò fraternæ ſocietatis & conſolationis ? Aves ipſæ diligunt nidos ſuos : amant feræ loca, in quibus nutritæ ſunt, amant cu-*

bilia & paſcua ſua ; & quamlibet naturali libertate paribus ſuis rapiantur , ſæpius tamen ad cara ſibi loca quodam deſiderio revertuntur. Quod ſanè diligenter exequens iſte, jam factus Reïenſis Epiſcopus, Apollin. Sidonij exquiſitas laudes meruit in *Eucharistico* ipſi ſpecialiter inſcripto; quas, quòd à Theodoro ſimilis conſilij haud immemore, minùs alienæ ſint, juvat ſubjicere:

Pro magna ſæpe quiete
Diſcipulis ſervire venis, vixque otia ſomni,
Vix coctos capture cibos, abſthemius ævum
Ducis, & infertis pingis jejunia pſalmis.

Quæ fuit conſtans SS. Præſulum ex Monaſteriis aſſumptorum conſuetudo, eorum præcipuè qui Sodalitates peculiares inſtituerant, quales fuere ipſe Theodorus, Honoratus, Martinus, magnuſque Baſilius, qui ſanè hoc Abbatum, in primùm efformatam Congregationem, ſtudium expertus, hæc tradit in regulis: *ad fratres autem eſſe debet* (Abbas) *tanquam ſi nutrix foveat parvulos ſuos.* Quo etiam modo gregem ſuum in Stœchadibus conſiſtentem, tantaque tum laude commendatum, prærogativo amore foviſſe cenſendus eſt Theodorus; & niſi me fallit conjectura, ex eodem ſibi delegiſſe ſucceſſorem, ut jam etiam inſinuavi. Porrò interfuit Præſul iſte Synodo Reïenſi *an.* CCCCXXXIX. in qua adverſus Armentarium Ebredunenſem contra Eccleſiæ morem à duobus Epiſcopis duntaxat conſecratum ſententia pronuntiata fuit: rurſuſque poſt biennium Arauſicanæ I. actis conſenſit. Anno autem CCCCXLIX. exeunte, aut ſequenti ineunte, pro inſtauratione Eccleſiæ Arelatenſis privilegij, comprovincialibus Epiſcopis ad Leonem Papam Libellum ſupplicem (cujus auctoritatem tot viri docti jam vindicarunt,) dirigentibus adhæret, ut patet ex Leonis Reſcripto *an.* L. currentis ejuſdem ſæculi, *Non. Maij.*

SED inter præcipua rerum ejus geſtarum certiſſima moni-

menta, meritò referenda eſt celeberrima illius ad Sedem Apoſtolicam conſultatio, quâ à S. Leone tum Pontifice ſcire poſtulat, quomodo ſe in eos gerere debeat, qui in exitu pœnitentiam peterent. Sed hîc fortè prærequiret aliquis, ut hæc Theodoro noſtro non adjudicetur Epiſtola XCI. antequam diluerimus, quæ de eodem conſignavit Palladius *lib. I. Rerum Foroju'.* qui palmari errore eum Fori-Julij apud Carnos Epiſcopum reponit. Namque ita ille ejus Sedis fictitiæ Epiſcoporum ſeriem ordinat: Maxentium Julienſem ſeu Julij Carnici Epiſcopum, qui *an.* DLXXIX. interfuit Gradenſi Synodo & Julienſis ejuſdem Eccleſiæ nomine inter alios Epiſcopos Italiæ ſubſcriptus omninò reperitur in hunc modum: *Maxentius Epiſcopus S. E. Julienſis*: Ille, inquam, hunc Epiſcopum tot genuinis characteribus dignoſcibilem, Forojulienſem Epiſcopum nuncupat, additque ſediſſe ſtatim poſt Aſterium, qui interfuit Concilio Romano *an.* CCCCLXV. Quem quidem Aſterium ſucceſſorem fuiſſe ait Theodori, ad quem extat Leonis Epiſtola. Hæc ille, in quibus cùm tot errores, quot verba inſint, in eo refellendo non debemus eſſe prolixi, ut quid enim tantùm chartæ, atque operæ perderemus? cùm præcipuè hæc à nobis abundè præſtita ſint. Conſtat enim ex *cap. II. Diſſertat. noſtræ*, Primò Fori-Julij tùm Epiſcopum non reſediſſe. II. manifeſtè apparet præfatum auctorem nullâ auctoritate nixum hæc proferre, quod ſanè patet de Maxentio Julienſi Epiſcopo: certo enim certius eſt, ex his quæ adducta ſunt *I. cap. Diſſertat.* Julium, ſeu Julium Carnicum à Foro-Julij omnino diverſum eſſe: III. Theodorus ex aliis actis innumeris noſter Epiſcopus Forojulienſis agnitus eſt, ut evincunt, quæ de eo ſupra congeſſimus. Palladius autem ex ſolâ Epiſtolæ ejus auctoritate hunc Præſulem ſibi arrogat: quod tamen perperam etiam faceret, etſi verum eſſet, Fori-Julij conſtitutam tùm fuiſſe Sedem. Cum enim extet urbs alia cognominis, neutri harum Sedium adjudicari potiori jure

deberet Epiſtola & adhuc ſub judice lis manere; quouſque ex aliis probatis actis, earum altera repræſentaret Epiſcopum, nomine in Epiſtolâ illa expreſſo: quod nos præſtamus, & nuſquam præſtabit Palladius, neque Itali Forojulienſes. IV. Denique Epiſtola ipſa ad Præſulem Gallicanum directa ex multis probatis indiciis apparet, ut etiam ex ſequentibus liquidius erit.

Et quidem pro eorum intellectû memorare convenit, quòd cùm in Provinciis Gallicanis antiquorum Canonum circa eos, qui in extremis reconciliationis gratiam deprecabantur, diſciplina, plus nimio fortè, viguiſſet, S. Exuperius laudatiſſimus Toloſatum Antiſtes de eo primùm, Innocentium Pontificem conſuluerat; cujus reſponſio eò tendebat, ut abeuntibus, nedum pœnitentia, ſed & communio concederetur, quaſi Viaticum profecturis: (quod tamen poſtremum de abſolutione peccatorum tantummodò intelligendum docet Gabr. Albaſpinæus Aurelian. Epiſc. *in notis ad hanc Epiſt.*) ne Novatiani hæretici duritiam ſequi videretur Eccleſia. His tamen haud obſtantibus Innocentij præſcripto, non uſquequaque in Provinciis noſtris fuiſſe obtemperatum liquet; nam Cœleſtinus I. Epiſtol. *ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis Provinciæ*, auſteritatem illam in pœnitentes adhuc perſeverantem graviùs taxat, iterumque pœnitentiam, in exitu poſtulantibus, non denegandam eſſe pronuntiat.

THEODORUS paulò poſt hæc tempora ſuccedens & ſoliciti vigilantiſque Paſtoris partes implere ſatagens, ſuper his etiam judicium Apoſtolicum prærequirit, quod haud dubiè, illam diſciplinæ remiſſionem ab omnibus receptam non fuiſſe experiretur. Unde fuſiùs & clariùs reſpondet Leo Pontifex, regulis tamen ab Innocentio & Cœleſtino traditis prorſus inhærendo. Sunt autem illæ in Juris Canonici, ut vocant, Corpore, partim præinſertæ, habenturque *de Pœnit. Diſtinct. I. cap.*

XLIX. *Multiplex.* Teſtaturque P. Queſnellus *tom. II.* noviſſimæ abſolutiſſimæque ſuæ *editionis operum S. Leonis*, *hanc quantulamcunque Epiſtolam tot tantique momenti conſtitutionibus exuberare & tot antiquæ diſciplinæ obſervationes exhibere*, *ut multa*, inquit, *eſſent annotanda.* Quod tamen diligenter ſuo more præſtat, multaque congerit, quæ alterum virum eruditiſſimum ejuſdem Congregationis Jo. Morinum in ſuis de Pœnitentia operoſiſſimis commentariis fugerant: quos & poterit curioſus Lector (& multo operæ-pretio quidem) conſulere; nam iſtic referre haud opportunum. At cum præcipuè verſemur in Hiſtoricis, non fortè extra operam judicabitur, ex ejus occaſione Epiſtolæ, facinus quantumvis nuperum prodere, in quo ni ſpreta, neglecta ſaltem maximè fuit ejus auctoritas. Scilicet cum manifeſtum ſit inquirenti ad ultimum Theodoro, de his *ita ægritudine aggravatis*, *ut quod paulo ante poſcebant ſub præſentiâ ſacerdotis ſignificare non valeant*, reſpondiſſe Leonem: *teſtimonia eis circumſtantium prodeſſe debere ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur*; quæ fuerat ipſa Concilij IV. Carthaginenſis Can. LXXVI. ordinatio, explicatiùs etiam declarans: *ut ſi continuò æger creditur moriturus*, *reconcilietur per manus impoſitionem & infundatur ori ejus Eucbariſtia*: Ego, ex ejus auctoritate Canonis mirificè roborante & elucidante præſcriptum ejuſdem Epiſtolæ, contendebam ut tam ſapiens Conſtitutio antiquo Forojulienſi Antiſtiti, in cauſa Eccleſiæ ſuæ, ad generalem etiam obſervationem ſpecialiter intimata, in gratiam noviſſimi ejus Sedis Succeſſoris Illuſt. Ant. Benedicti de Clermont nuper defuncti, & in tam lugubri caſu tùm verſantis, executioni mandaretur; Præſulque ille, ceſſante utique vomitionis & cujuſcunque indecentiæ periculo, ſacro Viatico muniretur: quandoquidem & ille paulò ante & Sacerdotis præſentiam, à quo reconciliatus fuerat, habuiſſet, & ſacra Myſteria percipere ſummo devotionis affectu poſtulaſſet. Cujus in con-

ſilij defenſionem, S. Thomæ doctrinam expreſſiſſimam *tert. parte, Quæſt.* LXXX. *Artic.* IX. allegabam, cui nullo modo adverſatur Romanum Rituale, concinitque vetuſtiſſimum Pœnitentiale Forojulienſe ab ipſo fortè Theodoro ordinatum, in quo hæc explicatè præſcribuntur: *ſi quis pœnitentiam petens, dum ſacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia hoc dixerint, ſacerdos impleat omnia circa pœnitentem, ut mos eſt.* De more autem *implere omnia circa pœnitentem* moriturum, nil aliud erat, quàm ex Leonis Conſtituto eundem Sacramentis reficere. Quantò magis hæc circa Præſulem impleri conveniens erat? At dum medicorum turba omnem cujuſque periculi ſuſpicionem procul abeſſe teſtificatur, repentinâque ſuperveniente morbi exacerbatione, Theologi, neſcio qui, rem inconſuetam & abſurdam prorſus eſſe, quam vehementer urgebam, conclamant; ægrum videlicet judicij & cognitionis expertem Euchariſtiæ Sacramento reficere, Antiſtes dulciſſimus, abſque cibi illius cœleſtis dulcedine, cujus perceptionem concupierat, oculos clauſit IX. *Kal. Septembris* labentis *an.* M.DC.LXXVIII. Tantùm perſæpe præjudiciis commovemur, pluſque in ea quæ fiunt, quàm quæ fieri debent intendimus.

Quod ſupereſt, & illud obſervatione dignum videtur, quòd in hâc Epiſtolâ Theodori ſolicitudinem laudat quidem S. Leo, attamen illius ordinem non probat, quem talem eſſe oportebat, (inquit) ut *cum Metropolitano ſuo, de eo quod quærendum erat, prius contuliſſet, quia in cauſis, quæ ad generalem obſervantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, ſine Primatibus nihil oportet inquiri.* Quod ex uſu civili videtur deſumptum, juxta quem *legatos non oportet Principem conſulere, ſed Proconſulem ſuum, ab eoque reſponſum expectare*, ut loquitur Ulpianus L. *ſolent* S. *Legat. ff. de officio Proconſul.* Simile quid ſuperiùs de cauſâ Epiſcopi Valentini notatum eſt, cùm videlicet Bonifacius I. voluit ut ſententiam ferrent Provinciales Epiſcopi, antequam ipſe de accu-

ſatione cognoſceret. Vnde colligere eſt, ſicut ab Eccleſiaſtico Canone alienum, omiſſo medio, hoc eſt, Concilio, vel Metropolitano non interpellato, ad primam Sedem appellare, ita & eodem non conſulto Apoſtolicam ſententiam explorare, haud fuiſſe iiſdem regulis conſonum. Certè arripuit avidè locum iſtum Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in libello expoſtulationis adverſus Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum, & Leonis verba ad Theodorum noſtrum valdè exaggeravit, ut probaret, quàm temerè ille decretorum Collectionem compilaſſet, cui, ſe inſcio, ſubſcripſiſſet. In præſenti autem causâ cur Theodorus Metropolitani ſententiam non requiſierit, hanc eſſe putamus, quòd à tempore Synodi Arelatenſis vulgò III. quam præceſſiſſe probabiliſſimum eſt, Ravennium ſibi infenſum expertus eſſet.

Hæcque ſunt quæ de Theodori geſtis fas fuit colligere, quæ licet nec multa ſint, nec penitus ad hiſtoriæ ſeriem cohærentia, ultro nihilominus evincunt, in utroque tum Monaſtici, tum Epiſcopalis moderaminis officio, fuiſſe, ſupra quàm dici poteſt, verſatiſſimum, & præcellentiſſimum. Et tanto quidem Præſuli Galliæ debuerunt, teſte Caſſiano, *Cœnobiorum ſanctam atque egregiam diſciplinam antiquarum virtutum diſtrictione* in ſuis *Provinciis*: huic Italia (quod occiduis partibus indicat Caſſianus) litora ſua *Monachorum cæteruis florere feciſſe*: huic rurſus obſtricti ſunt Epiſcopi, quòd Pontificij Ordinis jura ſolerter vindicaverit: huic denique imputare habet univerſalis Eccleſia, quòd Sedem Apoſtolicam, diſciplinæ regulam non ita patentem, clariùs quàm antehac, definire compulerit: pluſque his omnibus Forojulienſis Sedes, quòd per annos circiter viginti ejus lumen & columen extiterit; cujuſque fortè, poſt ſanctum Leontium, miniſterio magis nobilitata & illuſtrata fuerit. Quod enim Sancti titulo cohoneſtatus non ſit apud poſteros, hæc probabiliter antiquiorum diptychorum

jacturæ tribuenda eſt omiſſio, atque ſilentium; nam ſanctimoniâ ſpectabilem extitiſſe tantum Præſulem, non modo ſuadent, quæ de eo adhuc vivente celebravit Caſſianus; ſed ex eo magis inducimur, quòd Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus, qui poſt Theodori obitum, S. Hilarij Arelatenſis vitam ſcripſit, eum *virum ſanctum* commemoret, actaque vitæ S. Capraſij longiſſimè poſt Beati Abbatis exceſſum exarata, *glorioſæ & inclitæ memoriæ Sacerdotes* Hilarium, Theodorum & Maximum nuncupent. Quæ omnia cum illius vitæ laudabilibus geſtis collata & accumulata, non incongruum ad ejus ſanctitatem plenius inveſtigandam argumentum ſuppeditant. Cæterùm Theodorus meritis & annis gravis mortalitate probabiliter exuitur, circa annum CCCCLII. neque ſuſcepti exantlatique tùm circa Monaſteriorum, tùm circa Eccleſiæ regimen labores, ætatem illius, ultra hæc tempora prorogari conſentiunt.

SED nec ſuadet inſtituti ratio, ut extra hoc ævum, Eccleſiæ Forojulienſis Initia exploratum eam: quæ enim de illâ ab inde obſervavi, potiori jure ad ejus Hiſtoriæ ſeriem, quàm ad originem, referenda eſſe quiſque cenſebit. Cæterùm ut quæ in tota hâc Diſſertatione, fuſiori ſermone digeſta ſunt, Lectoris memoriam minùs onerent, eruditumque & ad meliora feſtinantem vix detineant, eventus præcipuos jam relatos, alioſque paucos ad majorem elucidationem & cohærentiam, ſubjunctos, omneſque per ſumma capita indigitatos, quaſi in tabellam Chronologicam contrahere viſum fuit. Quorum omnium ſummam exhibebit---

CAPUT

CAPUT XXX.

Anacephalæoſis Chronologica profano-Sacra rerum præcipuarum hucuſque tractatarum.

ANNO Urbis conditæ DCXCVI. ante Chriſtum natum LVII. Julius Cæſar Galliam Provinciam obtinuit, & per annos IX. adminiſtravit. Quæ inter tempora Forojulienſem Coloniam jam *veterem & illuſtrem* præcipuis operibus ornat, & ſuo nomine cohonaſtet.

AN. V. C. DCCX. *Idibus Martiis* Julius Cæſar in Senatu interimitur, & anno inſequenti M. Antonius *Idibus Maij* ad Forum-Julij cum primis copiis venit, & contra Lepidum caſtrametatur. Sed paulo poſt ipſe *Lepidus* perduellis factus ibidem cum Antonio ſe conjunxit *IV. Kal. Junij*, tandemque ambo, ſub anni exitum, Auguſtum ſibi ſocium, & in Reip perniciem III. Virum adjungunt.

AN. V. C. DCCXXII. ante Chriſtum XXX. ineunte Septembri Auguſtus, apud Actium, M. Antonium Navali pugnâ ſuperavit, reſiduaſque roſtratas naves ſupra trecentas, ad maris Gallici tuitionem, in Oppidum Forojulienſe miſit, valido cum remige.

CIRCA an. V. C. DCCXXVII. ante Chriſtum XXV. Auguſtus Legiones & Auxilia provinciatim diſtribuens, Navalem Claſſem Fori-Julij, alteram Ravennæ conſtituit; unde utraque urbs *Claſſenſis* & *Claßica* denominata; etſi Forojulienſis præcipuo titulo *Navale Auguſti* audire meruerit.

POST aliquot annos Auguſtus multas in Gallias & Hiſpanias Colonias deduci curavit, quo & fortè tempore Forum-Julij *Octavanorum Colonia* ex Legionis VIII. aſſignatioue nuncupatur.

ANNO Chriſti XLI. Caio Caligula III. Coſ. C. Julius Agricola ex Patre Julio Græcino Senatorij ordinis, *ſtudio eloquentiæ & Sapientiæ* à Tacito *in vita ipſius Agricolæ*, & Seneca *lib. ſec de Benefic.* multùm celebrato, ex matre Julia Procilla *raræ caſtitatis* matronâ, Fori-julij naſcitur.

AN. LXIX. cùm, occiſo Galba, Otho & Vitellius pro rerum ſummâ acriter decertarent; Vitelliani pro quibus ſtabat Provincia, præcipuum copiarum præſidium in Oppidum Forojulienſe miſerunt, nè vacuo mari claſſis Othonis accelerarer.

SED illicò Valerius Paulinus Civis Forojulienſis & Galliæ Narbonenſis Procurator, ejurato Vitellianorum ſacramento, ſe ſuoſque Veſpaſiano addicit, Urbem patriam occupat, ubi clauſtra maris præſidio tuebatur, & quà ſuâ, quà popularium induſtriâ, oram maritimam in ſuas partes trahit.

VALENS Vitelliani exercitus Præfectus à Val. Paulino in Inſulis Stœchadibus opprimitur, exindeque cuncta ad Veſpaſiani victoris opes tranſeunt, complanatâ illi, utique à noſtris, ad Imperium viâ.

VESPASIANI Principatù, nobilibus ædificiis, ſed Amphiteatro præcipuè Civitas decorata paſſim traditur.

INTRA an. CXXXVIII. & CXCIV. Claſſis Cæſarea Fori-Julij adhuc conſiſtebat ſub Antoninis Impp. adeoque & Urbs florentiſſima & ſummmo adhuc in pretio Romanis.

INTER hæc ipſa tempora fides toto Orbe dudum diffuſa & prædicata ab coætaneis ſcriptoribus celebratur, Eccleſiæque tùm *In Iberia*, *tùm in Celtis*, *&c.* conſtitutæ obſervantur ex Irenæo *lib. I. contra Hæreſ. cap.III.* Quod idipſum Tertullianus *adverſus Judæos, de Hiſpaniarum cunctis terminis & Galliarum diverſis nationibus* explicat, in iiſque Chriſti nomen regnare rurſus teſtatur.

UNDE ſi quæ inſigniores Eccleſiæ, Forojulienſi conterminæ, etiam ante hæc tempora Præſules aut Apoſtolicos, aut ſub-

pares prodant; eodem negotio parem fortunam eidem vindicabunt: ut pluribus momentis jam inſinuatum eſt.

An. CCCXXV. in Concilio Nicæno Provinciarum Eccleſiaſticarum ordinata diviſio, ex cujus præſcripto Provinciæ II. Narbonenſis Metropoli ſuas Sedes attributas fuiſſe elicitur ex Concilio Aquileïenſi *an.* CCCLXXXI.

Præsules jam tùm Antipoli ſedere cœperant.

An. CCCLXXIII. in locum decedentis Epiſcopi Forojulienſis, Canonico Cleri populique ſuffragio, ſubrogatur Acceptus vir Sanctiſſimus.

An. CCCLXXIV. *Idib. Julij* ejus electio à Synodo Valentina I. reprobatur, quòd ſe, etiam ex Chriſtianâ humilitate, capitalium criminum reum falsò prodidiſſet.

Suffectum tùm fuiſſe S. Quillinium credere nil hactenus vetat.

S. Leontius patriâ Nemauſenſis in Clero Forojulienſi vitæ morumque ſanctitate celeber.

Theodorus fundatâ in Galliis Cœnobiorum ſanctâ atque egregiâ diſciplinâ, peculiare Monachorum Sodalitium conſtituit in Stœchadibus Inſulis, ubi maxima vitæ laude floret.

Circa an. CCCCVII. Joannes Caſſianus patriam Provinciam repetit, Leporium prava Sentientem admonet, quem etiam in errore pervicacem Proculus Maſſilienſis & Quillinius Forojulienſis è Provincia pellunt. Iſque cum in Africam tranfretaſſet & à S. Auguſtino dedoctus eſſet, per literas Catholicè ſentientes ſuis Epiſcopis reconciliatur.

Anno circiter CCCCIX. S. Leontius Forojulienſis Epiſcopus creatur.

S. Honoratus ex Orientali ſuâ peregrinatione redux Leontij antiquâ neceſſitudine illectus Forum-julij concedit: & in hâc Diœceſi, *Caporoſſe* primùm, Lirini deinde Monaſterium toto Orbe celebratiſſimum inſtituit.

S. Leontius S. Honoratum ad Presbyteratus gradum promovet, & jura quædam præcipua in Congregationem Lirinenſem ſibi vindicat, alia Abbati permittit.

An. CCCCXVII. aut XVIII. Caſſianus ſuos de Inſtitutis Cœnobiorum libros XII. Caſtori Aptenſi Epiſcopo inſcribit.

An. CCCCXIX. Leontius Concilio Valentino contra Maximum ejuſdem Urbis Epiſcopum, ex Bonifacij I. Papæ ſententiâ indicto, interfuiſſe exiſtimatur.

An. CCCCXX. S. Caſtor Aptenſis Antiſtes & S. Leontij fratrer ad beata gaudia evocatur.

An. circiter CCCCXXII. Caſſianus X. priores ſuas Collationes Leontio noſtro dedicat.

An. CCCCXXV. Idem Caſſianus VII. alias Collationes ad Honoratum Abbatem tùm Lirinenſem & Eucherium mittit.

An. CCCCXXVI. Patroclo Arelatenſi Epiſcopo Cæſo, S. Honoratus ad hanc Metropolim ſublimatur.

An. CCCCXXVII. aut XXVIII. VII. poſtremas Collationes Theodoro, aliiſque Fratribus in Stœchadibus Inſulis conſiſtentibus nuncupat Caſſianus.

An. CCCCXXVII. Uvandali, à Bonifacio Comite ex Hiſpaniis in Africam evocati, hanc paulatim ſubigunt, oraſque maritimas populari incipiunt.

An. CCCCXXIX. XVI. Januarij S. Honoratus mortalitatem explet, S. Hilarius eidem ſubrogatur.

An. CCCCXXX. V. Kal. Septembris S. Auguſtinus moritur, & ex ejuſdem Commentariorum adverſus Pelagianos occaſione turbantur Eccleſiæ Gallicanæ.

An. CCCCXXXI. S. Cæleſtinus Pont. ab Hilario & Proſpero S. Auguſtini diſcipulis monitus, Presbyterorum Maſſilienſium aliorumque in ſaniorem doctrinam molimina compeſcit, ſcriptâ ad Venerium Maſſilienſem, Leontium Forojulienſem, Provincialeſque Præſules aculeatâ Epiſtolâ.

AN. CCCCXXXII. Kal. Dec. S. Leontius abit ad ſuperos.

S. Maximus à Clero & Populo Forojulienſi in Præſulem Electus, & ab iiſdem biduo integro inter condenſa ſylvarum, quò dignitatem ſubveritus confugerat, nequicquam inquiſitus, non multo poſt

SUFFICITUR Theodorus Abbas Stœchadum, & ex Inſulis in Urbem magno omnium plauſu ducitur.

AN. CCCCXXXIII. S. Maximus ad Sedem Reïenſem raptus, in Aſceterij Lirinenſis regimine Fauſto decedit.

AN. CCCCXXXIV. S. Capraſius Senex Concellita Lirinenſis emeritus, vitæ mortalis curriculum perficit. Verſanti in extremis Hilarius Arelatenſis, Theodorus Forojulienſis, & Maximus Reïenſis præſto adſunt.

AN. CCCCXXXIX. Theodorus Synodi Reïenſis & poſt biennium Arauſicanæ primæ Synodi actis ſubſcribit.

AN. CCCCXLIV. S. Hilarius Arelatenſis jura ſua in Viennenſem Provinciam duorum Præſulum exauctoratione vindicat: depoſitos Pontifices Romam adeuntes cauſam tuiturus ſequitur, moxque Arelatem repetit inſalutato Leone Papa, qui in eum & ſtylum acuit & Imperatorem armat an. inſequente.

S. Leo in Arelatenſi & Viennenſi Provinciis Synodorum indictionem prohibet, præter auctoritatem Leontij Senioris Epiſcopi, qui Forojulienſis eſſe non potuit.

AN. CCCCXLIX. V. Maij. S. Hilarius beato ſine decedit. Ravennius ad hanc Metropolim aſſumitur.

THEODORI Forojulienſis Epiſcopi & Fauſti Lirinenſis altercationes ex jure Diœceſano, quo proprius Antiſtes in Inſulam & Cœnobium gaudere contendebat, incaleſcunt.

PROVINCIALES Epiſcopi pro inſtauratione jurium Sedis Arelatenſis, ſeu pro renovando ejuſdem privilegio conveniunt, & ad Leonem Pontificem libellum ſupplicem dirigunt.

AN. CCCCL. III. *Non Maij* Leo reſcribit.

An. CCCCL. exeunte Ravennius Arelatenſis enciclycis ſuis Synodum convocat *ad III. Kal. Januar.* cujus judicio tàm Fauſtus Abbas, quàm Lirinenſis Congregatio Theodoro & Forojulienſibus Epiſcopis ſubjiciuntur.

An. CCCCLII. *IV. Id. Junij*, reſcripſit S.Leo ad Theodori conſultationem, de his qui in exitu pœnitentiam petunt. Et paulo poſt ipſe Theodorus obit in Domino.

An. CCCCLV. Valentinianus occiditur; ab indeque Uvandali (qui etiam ante annos XI. Siciliam vaſtaverant) quotannis validâ claſſe maritimas oras à Peleponeſo in Hiſpaniam infeſtant, pluresque inſulas ſibi vectigales faciunt.

An. CCCCLXVIII. Evaricus Uviſigothorum Rex tentatam à deceſſoribus Provinciam trajecto Rhodano ſubigit, & in Eccleſiam, Præſuleſque omnimodis ſævit, impellente etiam Geiſerico Arianæ perfidiæ conteſſeratione ejuſdem amiciſſimo.

Intra an. CCCCLXXII. & LXXXIII. Crocus & Simplicius Provinciales Epiſcopi exilio mulctantur. Valerius Antipolitanus, Gratiannus Telonenſis, Deuterius Nicienſis Præſules eiuſdem Tyranni Evarici juſſu, Martyrio afficiuntur: tum Leontius II. Forojulienſis exilio & ſervituti mancipatus, tandem ob fidei confeſſionem, præciſis cervicibus, glorioſum agonem perfeciſſe exiſtimatur.

An. CCCCLXXXIV. Evarici in Galliis & Hunnerici in Africâ, abrupto (ulciſcente Numine) vitæ tramite deferbuit aliquantulum Ariana perſecutio: ſed mox in Africa majori impetu exarſit, multique Epiſcopi in Sardiniam Regis juſſione deportantur, quò etiam, Martyrum inter varias perſecutiones cæſorum, ſacras Reliquas, magna undique curâ conquiſitas devehunt.

An. circiter DCC. Julienſe Oppidum apud Carnos excidium patitur, ex cujus occaſione Fidentius Epiſcopus, Ducis Forojulienſis permiſsû, ad Caſtrum Forojulienſe Diœceſeos Aquileienſis ſe recipit, ibidemque ſedem conſtituit.

An. DCCXXIX. Calixtus Aquileïenſis Patriarcha, derelictâ dudum, ob bella ingruentia, Aquileïâ, & apud Cormonem ſedens, Caſtri Julienſis Epiſcopum quaſi Paroeciæ ſuæ invaſorem è Forojulienſi oppido pellit, ejuſque domo occupatâ, ibidem Cathedram ſuam locat, & deinceps Forojulienſis & Aquileïenſis Epiſcopus indiſcriminatim nuncupatur.

An. DCCCXC. Saraceni ad oram Forojulienſem caſu nave appulſi, & Fraxineti tractum latrociniis peropportunum judicantes, famoſam à *Fraxineto* arcem conſtruunt, in viciniâ Sinus Sambracitani, XV. milliario ab Urbe diſtantem.

An. circiter DCCCCXV. Saraceni Civitatem Forojul. ſolo æquant, oppidanos interimunt, bona & ſacros theſauros deprædantur, documenta Eccleſiæ conculcant & flammis objiciunt.

An. DCCCCLXXX. Debellatis Saracenis & è Fortalitio pulſis pugnâ proſperâ Gibelini *de Grimaldis* (cui in præmium Sinus Sambracitanus, qui communiter *rivus S. Torpetis* dicebatur, ob miram ejus corporis tranſlationem, obtigit) Riculphus Epiſcopus Civitatem ſuam, in quâ nudum Epiſcopatus nomen remanſerat, primus *veſtire cœpit* & pietate Guillelmi I. Provinciæ Comitis medietas Urbis dominij, aliaque jura Eccleſiæ *B. Mariæ & B. Leontij* ejuſque Præſulibus poſtliminij jure non multò poſt adjudicantur & reſtituuntur.

Nunc autem, ut fuiſti Lector initio præmonitus, ad hanc De Initiis Eccleſiæ Forojulienſis *Diſſertationem fuſiori ſtylo tractatam, quaſi corollarij vice, breviter ſubiungitur in ſequenti paginâ*

APPENDIX PRIMA.

IN QUA PRÆSULUM FOROJULIENSIUM ſeries & Nomenclatura Chronologica ampliſſima & exactiſſima exhibetur.

CHRONOLOGICAM Epiſcoporum noſtrorum Nomenclaturam annis præteritis abs nobis feſtinanter emiſſam, incudique ab inde ſuppoſitam, nunc iterum exhibemus: tùm ne quid in hâc *de Initiis Eccleſiæ* diſquiſitione, ad ejuſdem Præſulum notitiam deſideretur: tùm quia tàm parum nobis, & merito quidem, tribuimus, ut ſeriem illam in plenam Hiſtoriam concinnare & publici juris facere non ſit animus, antequam eruditorum juvamine, quæ ſupplenda, quæ elucidanda, quæ tandem ex eâ reſecanda ſint penitus intellexerimus. Et profectò tam feliciter in præſens uſque ſecundarunt optata noſtra exitus optimi, tantùmque illuſtrationis ad editum Catalogum, vel noſtro, vel, quod potius fuit, Literatorum ſtudio acceſſit; vt majus etiam fœnus ex retentâ prioris conſilij ratione expectantes, rurſus commune opus ob oculos reducamus: quatenus excultius & cohærentius nunc primùm conſpicuum eorundem ſtudia ſic commovent, ut ſuggeſta ab ipſis alia rerum argumenta, eruditaque conſilia illi colophonem imponant. Porrò etſi non pauci Præſules, ex iis qui in vulgatis catalogis circunferuntur à nobis

meritò

meritò uti fictitij diſpuncti ſint, longè plures poſtea innotuere, è quibus ſeries iſta tertiâ fermè parte aucta prodit; ut indigitabunt aſteriſci quibus eorum nomina prænotavimus.

Anno. CCCLXXIV. I. S. ACCEPTUS. ELECTUS.

Circa an. CCCC. II. S. QUILLINIUS.

CCCCIX. III S. LEONTIUS. I.

XXXII. IV. S.* MAXIMUS. ELECTUS.

XXXIII. V. THEODORUS.

Circa an. LIII. aut LXXX. VI. S.* LEONTIUS. II.

Horum ſex Præſulum geſta plurimas præceden. tis Diſſertationis noſtræ paginas expleverunt; adeoque ea, ne actum agamus, hic denuò non ſubjicimus.

Circa an. CCCCLX. VII. * ASTERIVS. à nobis olim, ob eam in quâ verſabamur, de Epiſcopali Sede Forojulienſi Italiæ, ſuſpicionem, hæſitanter aſſertus, nunc omnino vindicatus ex *cap. ſec. Diſſertat.* noſtræ, germano ſuo loco reſtituitur. Subſcripſit Concilio Romano an. CCCCLXV. unde corrigendus eſt Palladius *lib. I. rerum Forojul.* qui eum Forojulienſium, ſeu Vtinenſium Præſulum Catalogo adſcribit.

Circa an. CCCCLXX. VIII. *S. ANTIOLIUS. ſeu *Anſilius* & *Auſilius*, ex Polyc. *Riveiræ*, & P. Lud *Du Four* obſervationibus. Aſceta primùm Lirinenſis *Luporumque Concellita Maximorumque*, uti ſplendidè ab Apollin. Sidonio *lib. VIII. Epiſt. XIV.* commendatur, & quem non ſuſpicamur diverſum ab S. Auſilio Epiſcopo, ut traditur, Forojulienſi; cujus in vetuſtis Kalendariis Breviarij, Officium ſub cultu Epi. & M. indicitur. *ad VII. Kal. Februarij.* Sacra autem ejus morticinia à multis retro ſæculis ſolenni veneratione coluntur in proximo oppido Calacenſi *Calars*: quæ omnia pluribus oſtendemus in noſtrâ SS. Forojulienſium recenſione *lib. II. Hiſtor. Forojul.*

Circa an. D. IX. VICTORINUS. ſubſcripſit Concilio Agathenſi an. DVI. per Joannem Presbyterum, veriſimiliterque idem----

DXXIV. X. * JOANNES. I. conſenſit actis Concilij Arelatenſis IV. an. DXXIV. ſuffragio Deſiderij delegati & ſucceſſoris. Sed intermedius eſt----

V

DXXVII. XI. LVPERCIANVS. qui interfuit Synodo Carpentoractenſi an. DXXVII. & Arauſicanæ II. poſt biennium.

DXLI. XII. DESIDERIVS. geſta in Aurelianenſi Synodo IV. probat an. DXLI. per Gratianenſem Presbyterum.

DXLIX. XIII. EXPECTATVS. Concilio Aurelianenſi V. per delegatum Epiphanium Presbyterum ſubſcripſit an. DXLIX. Arelatenſi VI. an. DLIV. & Pariſienſi II. an. inſequenti interfuit.

DLXXX. XIV. * EPIPHANIVS. ex indicatione viri de re literariâ meritiſſimi R. P. Caroli *le Cointe*, *in Indice Epiſcopatuum Galliæ ad* calcem *tom.* III. *Annal. Francorum.* Idem fortè qui deceſſoris nomine Concilio V. Aurelianenſi ſubſcripſerat. Sed latet me germanus illius exiſtentiæ titulus; nam de eo Præſule tractaſſe ait *tom* II. qui non eſt ad manum, ſicut nec alij plurimi libri, à quibus Fori Julij longiſſimè eſſe interdùm dolemus. Porrò neque liquet cur laudatus Scriptor, Epiphanio ſubjiciat Aſterium, quem ſupra collocavi, ex fide actorum Concilij Romani. Niſi ſit alter ejuſdem nominis, quem exceperit

XV. RVSTICVS.

XVI. JACOBVS I.

XVII. ROMANVS.

Circa an. DCL. XVIII. * BETTO. Forojulienſis Eccleſiæ nomine Concilio Cabilonenſi III. an. DCL. ſeu XLIV. ut contendit P. Car. *le Cointe* eodem *tom.* III. ſubſcriptus reperitur in vulgato Codice; at Bellovacenſis præfert: *Betto Tricaſtinenſis.* Exhibentur & alij duo cognomines, quorum primus dicitur: *Betto Epiſc. de Juliobona*, quem Jac. *Sirmondus* Juliobonæ apud Caletes, vulgò *Dieppe*, ut ipſe exiſtimat, ſedem habuiſſe contendit. At reclamat V. Cl. Hadrian. *Valeſius*, in noviſſimâ multæque eruditionis *Galliarum notitiâ*, quam nuper vulgavit, validiſque rationibus, *Juliobonæ* appellatione *Auguſtobonam Tricaſſium* deſignari de-

buiſſe probat. Quo quidem pacto haud difficulter vulgati Codicis & Bellovacenſis lectiones in ſpecie pugnantes conciliari poſſent: namque potuit Amanuenſis, aut alius imperitus priſcum *Tricaſſium* Civitatis nomen ignorans (cujus Præſulem Synodo interfuiſſe aliunde cognoverat) *Tricaſſini* & poſtmodum *Tricaſtini & Tricaſtinenſis* dictionem ſubjicere, loco *Forojulienſis*, cujus fortè expreſſionem factam eſſe putaverât, hâc ipsâ *Juliobonæ* Sedis commemoratione ibidem ſubjectâ. Utcunque ſit vulgatus Codex Forojulienſem Epiſcopum apertè repræſentat, & utramque Civitatem *Juliobonæ* ſeu *Tricaſſium* & *Fori-Julij* exprimit, nec video cur ab hâc lectione (pro quâ etiam ſtat Claud. *Robertus* in *Gallia Christ.*) ſit recedendum.

DCLXIX. *XIX. ADEODATUS. à P. Ioanne Columbj è Societ. Ieſu, ad me datis iteratis literis, Chronologia iſti, ab an. DCLXIX. ad LXXV expreſſè aſſertus, valdè tamen incertus mihi habebitur, donec de eo probationes ſapiùs requiſitas communicaverit.* Adeoque alio charactere hic conſignatur, quemadmodum qui ſequitur ----

DCLXXV. *XX. S. HUMBERTUS. ex fide Martyrologij Gallicani* in ſupplemento ad VIII. Id. Septemb. *Nam & hic pariter dubius, ne dicam ſuppoſititius videtur, nam controvertitur adhuc utrum fuerit Epiſcopus, ut probat Bollandus* ad XXV. Martij.

DCC-XCVIII. XXI. * .... Forojulienſis quidam Antiſtes ſubſcripſiſſe reperitur Concilio Narbonenſi an. DCCXCVIII. cujus tamen proprium nomen conſumpſerat invidioſa vetuſtas, in exemplari à V.Cl. Stephano *Baluzio* primùm edito ad *librum VI. de concordiâ Sacerd. & Imp.* Nunc vice versâ prodeunt aliquot Epiſcoporum nomina, qui abſque expreſsâ temporis epocha innotuere: queis tamen omnibus præiviſſe, ex quorundam ſententiâ, videtur---

Circa an. DCCCIV. XXII. * PAULINUS. recenſitus inter Epiſcopos Baſilicam Monaſterij S. Salvatoris Anianæ Ordinis S.B. in Diœceſi Magalonenſi conſecrantes, ex actis ipſius Conſecrationis; quæ licet adulterata videantur, potuit tamen in plures Præſules illic memoratos fictio non cecidiſſe; quod ſanè de aliquibus, ex aliis germanis titulis commendatis, & in eâdem Dedicationis charta expreſſis compertum eſt. Contigit autem an. DCCCIV. ex Gariello *in Magalonenſibus*.

Circa an. DCCCXV. XXIII. AUGERIUS. quem P. *le Cointe tom.* III. *Annal.* cenſet *pervenire potuiſſe ad initium* VIII. *ſæculi*; nos fortè probabiliùs, his temporibus collocamus, cum duobus ſequentibus.

XXIV. BERENGARIUS. I.

XXV. BARTHOLOMEUS. I.

DCCC XCIV. XXVI. BENEDICTUS. I. intereſt Magalonenſi Synodo apud *Juncarias* an. DCCCXCIV. quam alij poſt an. XV. collocant.

DCCCCL. XXVII. * GONTARUS. ex Arelatenſi Præpoſito, facit quandam permutationem cum Tucinda ſorore ſuâ Sanctimoniali, ex Chartulariis Monaſterij Montis-Majoris circa an. ad marginem annotatum.

DCCCCLX XXVIII. *. JOANNES. II. obſervatur inter Præſules qui interfuerunt Romanæ Synodo, in quâ promovente Othone Imperatore, Joannes XII. depoſitus fuit, & in ejus locum Leo ſubrogatus eſt an. DCCCCLXIII. Et Joannes quidem ille Forojulienſis, recenſetur cum Epiſcopis ex Italiæ locis convenientibus; quod ſanè haud noſtrum fuiſſe ſatis evinceret, ſi in ſubjectâ Sedium enumeratione regionum ordinem ſincerè ſervatum eſſe conſtaret. At ſecus omnino factum eſt: nam Buptus *Parmenſis*, aliàs *Bremenſis* cum Francis Præſulibus reponitur. Sed Parmam, quæ tùm conſtanter de Italiâ cenſebatur, Bremam in Ueſtphalia, vel Saxonia inferiori, longè magis à Galliâ, quàm ab Italiâ Forum-julij diſtare quis neſciat? Illæ ſiquidem urbes latis regionibus à Galliis ſeparatæ nullomodo ad eas pertinere potuere; Forojulienſis autem Civitas in Italiæ confiniis poſita, & ab eâ vix unius diei itinere ſejuncta, ad eandem convenientiùs referri potuit. Utcunque ſit in Italiâ Forojulienſem Antiſtitem non ſediſſe, alium ab Aquileïenſi Patriarcha, *ex cap. ſec. Diſſertat. noſtræ* ultro exploratum eſt; patetque ex memoratæ Romanæ Synodi actis Angelfridum Aquileïenſem morbo detentum, per Rodulphum Diaconum eidem

conſenſiſſe. Rothaldus autem Angelfridi ſucceſſor impetravit à Leone, anno poſt ejus electionem primo, Diploma in gratiam Eccleſiæ ſuæ, ut *prima poſt Romanam haberetur* : ut omnimodis pateat Joannem iſtum ad Forojulienſem, ſeu Aquileïenſem Cathedram nuſquam trahi poſſe. Quod ſi in Italiâ relinquendus eſſet, Forolivienſi potiùs adſcriberem, ex probabili unius aut alterius literæ antepoſitionis conjecturâ ; ſed nil hactenus apparet, quod hanc interpretationem neceſſariam faciat.

DCCCC. LXX. XXIX. * HVMBERTVS. aut alter ex V. aliis Præſulibus memoratis in Epiſtola Joannis XIII. quæ extat in Tabulariis Capituli Arelat. *num. tert. fol. ſecun.* in quâ expreſsè Sylveſter II. Narbonenſis Archiepiſcopus, nec non VI. ejus Suffraganei denominantur. Sed ab iis Sedibus inquirendum nunc veniret ecquis proprius cujuſque eſſet Antiſtes. Sane Theudericus hîc recenſitus, hoc ævo, inter Aptenſes collocatur : Pontius fortè fuit Antipolitanus. Igitur inter quatuor ſuperſtites fieri deberet diſtributio : ſique Vapincenſis, Reïenſis & Siſtaricenſis Eccleſiæ ſuum aliquando aſſequantur (in quo laborare debent, nam & earum res agitur) reſiduus certiori indicio nobis adjudicandus veniet.

DCCCC. LXXV. XXX. RICVLFVS. nepos Gontari & Tucindæ, de quibus ſupra. Civitatem à Saracenis Fraxineti vaſtatam inſtaurare *ſeu veſtire primus cœpit*, impetravitque non multò poſt, à Guillelmo I. Provinciæ Comite, ut bona & jura Eccleſiæ, ſibi & ſucceſſoribus reſtituerentur.

M. XXXI. PETRVS. I. Diœceſim ſuam luſtraſſe reperitur an. M.

MXXV. XXXII. BERENGARIVS II.

M. L. XXXIII. GAUSELINUS. ſubſcripſit Synodo apud S. Ægidium circa an. MLII. Cujus & Præſulis ante annos XIV. eruitur notitia ex aliis actis, quibus conceſſit quinque Eccleſias Monaſterio Lirinenſi.

M. LV. XXXIV. BERTRANDVS I. omni virtutum genere commendandus, inſigniſque Lirinenſium benefactor, confirmat etiam donationem Guillelmi & Aldagardæ uxoris Cœnobio S. Victoris Maſſilienſis XIV. *Kal. Decemb. an.* MLVI. quo anno non potuit cogi, ut volunt aliqui, Synodus apud S. Ægidium, cui nomen dediſſe Bertrandi deceſſorem ſuperiùs annotavimus. Hîc occurrunt aliquot annorum lacunæ; neque enim immediatè ſediſſe videtur---

MXC. XXXV. BERENGARIVS III. multi vir nominis, ſummiſque Pontificibus Paſchali II. Calixto II. & Innocentio item II. carus & familiaris.

MCXXXI. XXXVI. BERTRANDVS II. cognomine *de Caſtelana*, ut volunt aliqui, quem & capite minutum ferunt Hiſtorici noſtri, quod Bonifacio *de Caſtelana* gentili ſuo opem tuliſſet, contra Ildefonſum Aragonum Regem, & Provinciæ Comitem. Sed haud dubiè verba dant Scriptores illi, quos & facinoris inſolentia, & Chronologiæ ratio tàm manifeſtè erroris poſtulant: nam Bertrandus diem obiit circa an MCL. Et Ildefonſus expeditionem ſuam non iniit niſi poſt an. XXXIX. Ergo in Fredolum *Anduſianum* tunc ſedentem hanc lethalem pœnam latam eſſe dicendum? Sed ille obiit fine pacatiſſimo. Porrò Bertrandus ex multis laudabilibus geſtis notiſſimus nobis eſt.

MCL. XXXVII. GVILLELMVS I. ex auctoritate Statutorum Eccleſiæ Collegiatæ *Vallis-Moiſſinæ*, nunc *Alpenſis*, *Aups*, quam tamen valdè nutantem cenſeo, propter multa in curſu viſitationis D. Epiſcopi, à me obſervata in apographo (nam autographum excidit) in quo quidem habetur expreſsè *Guillelmum Forojulienſem præfata Statuta rata habuiſſe*, quæ non multò poſt confirmavit Anaſtaſius IV. Pontifex Max. *anno I. Pontif.* Sed pluris DD. Canonicorum Alpenſium documenti illius fidem probatis rationibus ſartam tectam oſtendere, quàm noſtra intereſſe putamus.

MCLX. XXXVIII. PETRUS II. teſtis fuit cujuſdam donationis, per Raymundum Berengarium Comitem, ſeu Marchionem Provinciæ, factæ in gratiam Ebredunenſis Archiepiſcopi, circa an. MCLX. In ea autem Petrus memoratur D. Raymundi Dapifer, his verbis, excerptis ex inſtrumento authentico inſerto *in Biblioth. Sebuſiana* V. Cl. Samuel. *Guichenon* (nam fragmentum apud Buchæum *tom.* II. *Provinc. Hiſt.* ſub Berengar. II. relatum, ea mendosè omnino reponit.) *Vidit hoc ... Petrus Forojulienſis Epiſcopus & D. Raymundi Dapifer.* Quod quidem Dapiferi officium in Curiâ præcipuum fuiſſe non abnuunt, qui noſtras horum temporum Hiſtorias perlegerunt. Circa illa ſiquidem, apud Ludovicum VI. Galliarum Regem, Stephanus *Garlandenſis*, ſeu *de Garlanda* Pariſienſis Archidiaconus, Dapiferatum & cum eo Regni penè integram adminiſtrationem conſecutus fuerat; propter quod S. Bernardi *Epiſtol.* LXXVIII. *ad Sugerium Abbatem* & Yvonis Carnotenſis *Epiſt.* XIX. hanc, ſimileſque in Eccleſiaſticis viris ſecularium militariumque dignitatum ſarcinas improbantium, cenſuram in ſe moverat. Cæterum de Petro *viro Eminentiſſimo* alibi nuncupato plura extant.

MCLXV. XXXIX. & XL. F. FREDOLO *d'Anduſe* ex Abbate S. Victoris Maſſilienſis. Sanctimoniâ inſignis fuit, cujus etiam frequens venerandaque memoria extat quà in Archivo Capitulari, quà in Tabulariis Vernenſis Carthuſiæ noſtræ *Laverne*, quæ eidem, una cum Petro Telonenſi fundationem ſuam adſcribit an. MCLXX. menſe Martio. Sed poſt annos circiter XX. obiit in Domino Fredolus II. *Id. Septembris* ex Cathedralis Eccleſiæ Necrologio, è cujus auctoritate Præſulum obitum, prout ibi conſignatus erit, deinceps notabimus. Unde HUMBERTUS

MCLXXXIII. *de Grimaldis* Forojulienſis Epiſcopus etiam deſignatus in Genealogiâ clariſſimæ Grimaldæ Gentis, ex quadam chartâ Sancij Provinciæ Comitis, cui ille ſubſcripſiſſe reperitur, non potuit ex noſtrâ Chronologiâ ſediſſe inter Fredolum & Bertrandum

de Caſtelane (ut habet Carolus *de Venaſque* auctor libri illius Genealogici) ſed fortè Fredoli tantùm Coadjutor fuit, cui etiam aliquâ ſanguinis affinitate conjunctum fuiſſe ſuſpicor. At Humbertum nihilominus diem clauſiſſe neceſſe eſt, ante Fredolum, cujus mihi apparet immediatus ſucceſſor--

MCXCII. XLI.* FVLCO. qui certam init cum Aſtorgo S. Victoris Maſſilienſis Abbate compoſitionem an. currentis duodecimi ejus ſæculi XCII. ex V. Cl. *A. de Ruſy* Hiſtorico Maſſilienſi. Sed niſi vir diligens disertè Fulconem exprimeret (prout ad longum id nomen in actis vidiſſe credere par eſt) ex ſolâ initiali literâ F. quæ obſervatur in Chartulariis noſtris, Fredolum intellexiſſem.

Circa an. MCXCVI. XLII. VVILLELMUS II. an. MCC. confirmat donationem in feudum caſtri de Claverio. Is eſt, ut puto, qui ſibi viſus ad regimen inhabilis, abdicandi Epiſcopatus ab Innocentio III. facultatem expoſcit; cujuſque ut ceſſionem admittat, deputat Pontifex Aquenſem Metropolitam cum mandato: ut, *factâ ceſſione ſpontaneâ, Canonicos Forojulienſes moneat & inducat, ut alium Epiſcopum eligant, qui tàm ſpiritualiter, quàm temporaliter ſit idoneus, ad regendam ſolicitudinem paſtoralem.* Ex *lib. I. Epiſtol. Innocentij.* Unde tunc Ildefonſus II. Provinciæ Comes operam navavit, ut à Collegio eligeretur vir ſibi carus, atque à Confeſſionibus--

MCCI. XLIII. F. RAYMVNDVS I. ex ordine (ut patet) Monaſtico, cujus gratiâ memoratus Princeps remiſit Eccleſiæ, *juſtitias hominum qui ſunt & erunt in poſterum in tenemento Forojulienſis Eccleſiæ*, ut habet charta *data menſe Novemb. an. MCCIII.* Reſtituit etiam multa alia bona, Patre imperante, ablata: damnaque per ſe olìm illata reſarcivit, variis temporibus, etiam poſt Raymundi obitum, qui contigit an. IV. currentis ſæculi.

MCCV. XLIV. BERMVNDVS. *Cornuti.* Ex Archidiacono Forojulienſi & Aquenſi Præpoſito; quo & nomine certam tranſactionem

tionem inter Comitem Forcalquerij & alios Magnates initam ſubſcribit *an. MCCII. menſe Novemb.* Ergo nonniſi, eo quem ponimus ordine, Sedem tenuit; & quæ de eo uti Epiſcopo acta referuntur apud Noſtradamum, alioſque *an. MCCVII. Jul.* in donatione loci de *Brüe*, ſic debent intelligi, ut numeralis *nota VI.* ad annorum, non autem ad diei conſignationem referatur. Quod Hiſtorici noſtri non adverterunt. Porrò idem B. Forojulienſis Epiſcopus *an. MCCVI. VII. Id. Novemb. Fer. ſec. Lun. ſecun. Imperij Philippi Aug. an.* IX. quandam venditionem Monachis Vernæ factam præſentiâ ſuâ roborat, ex *Chartul. Vernenſib.* Sed ante annum octavum currentis ſæculi, aut ad Aquenſem Metropolim aſſumitur, aut regimen cedit; nam probatis titulis—

MCCVIII. XLV. BERTRANDUS III. * *à Sancto Laurentio* Eccleſiam Collegiatam Barjolenſem, ejuſque præpoſitos exemptionem molientes in ordinem coëgit an. MCCVIII. cujus præcisè anni *menſ. Novemb.* extat in Tabulariis noſtris altera Ildefonſi conceſſio in gratiam Bertrandi & Canonicorum, ut poſſint *acquirere recipere & habere in toto Comitatû*, irrequiſito Principe, *quidquid jure emptionis, permutationis donationis*, &c. *Sive in caſtris, vel villis, vel poſſeſſionibus*, &c. *erit eis venditum, donatum ....* Hanc *autem donationem* (verba ſunt documenti) *facio Deo & S. Mariæ Forojulienſi principaliter pro animâ meâ & Parentum meorum, & præterea in recompenſationem & emendationem multorum, quæ contra Eccleſiam Forojulienſem & ejus membra feci multoties minùs benè.* Anno autem ejuſce ſæculi vigeſimo inſequente, *& die V. Martij* Raymundus Berengarius Comes Provinciæ donavit *Deo & Eccleſiæ B. Mariæ Fori-Julij, in remiſſionem peccatorum & parentum ſuorum, medietatem Gabellæ ſalis, à portu S. Torpetis, uſque ad Antipolim.* Quod jus pacificè perceptum eſſe per quatuor fermè ſæcula probant acta Capituli; in quibus etiam legitur ejuſdem Berengarij confirmatio omnium privilegiorum & jurium Eccleſiæ, facta menſe Auguſti *an.* MCCXXIV.

X.

MCCXXVI. XLVI. OLIVERIVS. quem ex ſacro Carthuſianorum Ordine, Vernenſique domo, ad Epiſcopatum ſublimatum, non ſecus ex Epiſcopo religioſum hunc habitum induiſſe, definiit tandem Dom. Johannes *Chauvet* ejuſdem Carthuſiæ doctiſſimus, nobiſque cariſſimus Sodalis; à quo antea habueramus Antiſtitis elogium ex Indiculo MS. virorum illuſtrium Ordinis, ita præferens: *Olivertus Forojulienſis Epiſcopus divinæ prorſus benignitatis & patientiæ.* Mirum autem quomodo ejus nomen noſtros hucuſque latuerit, quod tamen in Martyrologio expreſsè animadverto, in quo ejus obitus reponitur *ad* X. *Kal. Auguſti.* Sed de more, abſque anni notâ: & tamen re ſæpiùs penſatâ, debuit ſediſſe inter hæc tempora; nam idipſum teſtatur præfatus Indiculus.

MCC-XXXIII. XLVII. * B. Hujus ſola initialis litera reperitur in libro *Piloſo* nuncupato V. C. Exiſtimaveram autem olìm hanc literam B. pro R. affini irrepſiſſe, adeoque & iſtum eundem eſſe, ac Raymundum qui ſubſequitur. Sed in autographo exemplari libri illius *Piloſi*, quod nuper tandem recuperatum eſt, expreſsè legitur: quod *B. Dei gratiâ Forojulienſis Epiſcopus pro R. Berengario Præpoſito ſolvit* XL. *lib. G. de Faentia*, &c. *an.* MCCXXXIII. VI. *Idus Septemb.*

MCC-XXXIV. XLVIII. & XLIX. RAIMVNDVS II. ut mihi videtur, ex Præpoſito, quem & nuper à cognomine *de Rocabruna* nuncupaveram, deceptus auctoritate Cæſ. *Noſtradamus in Provinciæ Hiſtoriâ*, in quâ *Raymundus Laugerius de Rocabruna*, aliique Barones compromiſſarij inſtituti ab eodem annotantur, quin tamen ipſum Raymundum, ullâ clauſulâ diſtinguat, ab ipſo Laugerio; quem ex aliis actis Laicum hominem & Rocabrunæ Toparcham obſervavi. Quod ſi itidem advertiſſet Bucheus, in eundem ſcopulum non impegiſſet, in Forojulienſium Præſulum Catalogo; unde aliis errandi occaſio fuit. Porrò Raymundus Berengario percarus fuit, ejus enim gratiâ Princeps

conceſſionem ab Ildefonſo Eccleſiæ factam approbavit *anno* MCCXXXV. & poſt annos tres eundem Præſulem defenſorem ſeu executorem ſuum teſtamentarium, cum aliis Epiſcopis & Baronibus inſcripſit. Quam operam egregiè executus eſt, nam ejuſdem intuitû Karolus Andegavenſis S. Ludovici frater, qui Berengario, ex ſponsâ Beatrice ejus filiâ ſucceſſerat, Fori-julij degens *Idib. Martij an.* XLV. rata habet quæcunque ſocer ſuus, Eccleſiæ Forojulienſi reſtituerat, ſeu donaverat. Ejuſdem

MCCXL. Præſulis Coadjutor obſervatur---R. SACHRISTA Arelatenſis, qui eo nomine certa Capituli Statuta ſuper ratione expendendarum diſtributionum approbat *an.* XL. *alib.* XLVI. ſed aſſequi non potui, an ab eo diverſus ſit.--

MCCXLVI. L. R. BERENGARIUS IV. qui ordinavit diviſionem præbendarum, quam & immutari gravi ſub interminatione prohibuit *an.* MCCLII. Interfuit Concilio Valentino *an.* MCCXLVIII. cujus acta probant Forojulienſem in eo ſententiam dixiſſe: & quamvis ejus nomen non exprimant; alius à Berengario (quippe qui tùm ſedebat) eſſe non potuit.

MCCLV. LI. BERTRANDUS IV. * *de S. Martin.* Ex Arelatenſi Præpoſito ad hanc Sedem aſſumitur, & rurſus ad Arelatenſem Metropolim transfersur poſt *an.* MCCLXII. cujus Infulæ abdicatione factâ, creatur Cardinalis à Gregorio X. obitque Sabinenſis Epiſcopus ex Ciaconio, anno ejuſdem ſæculi LXXVII. & ex Martyrologio noſtro XIII. K*al. Aprilis.*

Circa an. MCCLXIII. LII. GUILLELMUS III. haud dubie *de Sosbilaco* alias *Soliaco* fortè *Sully*. Nam & ex eâdem inclitâ Gente advertuntur inter ea tempora, qui in Provinciâ degebant; tùm Henricum Militem Karolo I. Andegavenſi percarum, & in expeditione Neapolitanâ contra Manfredum, comitem eidem ad fuiſſe docet V. Cl. D. *du Bouchet* in libro Genealogico Regiæ atque Imperatoriæ Familiæ de *Cortenay*. Quo in itinere & Guillelmus etiam noſter Principem ſecutus eſſe legitur, unâ cum aliis

Præſulibus. At ex eo redux eſſe non potuit, ejus enim obitus conſignatur in Martyrologio, cum laude munificentiſſimi Paſtoris, *ad* III. *Non Novemb. an.* utique MCCLXV. ſtatim enim occcurrit.

MCCLXV. LIII. PETRUS II. *de Camareto.* Ex Canonico. Fuit inſignis Eccleſiæ benefactor, quamvis eam per annum integrum vix rexerit: mortalitate quippe exuitur *an.* MCCLXVI. VIII. *Kal. Jan.*

MCCLXVII LIV. F. GUILLELMUS IV. multas adverſus Canonicos controverſias ſuſcitavit, quas amicabili compoſitione conſopivit *D. Vicedominus* Metropolita *an.* MCCLXXI. II. *Kal. Decemb.* Habita ſub eo Synodus *an.* LXXVI. *die* XX. *Octob.* cujus ſola acta, quæ Decimam de *Avere*, ut vocant, percipiendam ordinant, vigentque hactenus, ad nos pervenerunt.

MCCXXC. LV. BERTRANDUS V. * *de Fabario*, ut videtur. Antea Canonicus. Subſcripſit Concilio Reïenſi, cujus exemplar dabimus ex Archivo Capituli. In ejus Præſulis gratiam Karolus II. confirmat omnes conceſſiones & privilegia per Anteceſſores ſuos Eccleſiæ collata, authentico inſtrumento *an.* MCCXCVI. *&* XXVIII. *Octob.* in quo & præcedentes donationes omnes fusè tranſcriptæ ſunt. Obiit ex Martyrologio VI *Idus Decemb.* ſed abſque anni notâ. Ab anno ſuprà memorato nulla de eo comperi: unde interdùm ſuſpicor ſediſſe aliquem Epiſcopum intermedium, quem exeunte ſæculo exceperit laudatiſſimus.

MCCXCIX. LVI. JACOBUS II. *de Oſſa* Cadurcenſis, è patre ſutore veteramentario, primùm Præpoſitus Barjolenſis, Cathedram tenuit per annos circiter XI. Factus Pont. Max. in Lugdunenſibus Comitiis ſub nomine Joannis XX. & XXII. ſuæ Forojulienſis Eccleſiæ memorem ſe multoties prodidit: namque ipſo *an.* MCCCXVI. confirmavit tranſactionem quam inierat cum Oppidanis ſuis, dùm illis jus diceret; ſeu ut ait ipſe: *dùm nos minor ſtatus haberet, & præſideremus Forojulienſi Eccleſiæ.* Iterum *an.* V. *ſui Pontificatus*, *Kal Octob.* ſpeciali Bullâ fundavit Capellaniam

in Cathedrali, ſub invocatione S. Petri, dotemque illi ſuper multis prædiis, quæ fuerunt olim Romei *de Signa*, adſcripſit altero Diplomate II. *Id. Octob.* Quorum duorum exemplarium copiam ab viro nobiliſſimo D. Henrico *de Suares* Avenionenſi nobis factam, pro magno munere ducimus. Videnda etiam Jacobi iſtius ordinatio exhibita *cap.* XIII. *Diſſertationis*. Sedebat adhuc *an.* MCCCIX. X. *Febru.* quo tempore Karolus II. dedit Eccleſiæ territorium *de Keveſto & Villapiſcis*.

MCCCX. LVII. BARTHOLOMÆUS II. *Graſſy*. Nobilis Civis & Canonicus Forojulienſis. Factus Epiſcopus Eccleſiam variis donariis auget: tantùmque apud Jacobum Deceſſorem ſuum, tùm Pontificem Max. auctoritate & exiſtimatione valet, ut iſte magicis præſtigiis, à facinoroſis hominibus ad necem cum multis Cardinalibus appetitus, cauſæ reorumque cognitionem Bartholomæo delegaverit, authentico Reſcripto *an.* MCCCXVII. III. *Kal. Martij.* ab Odorico Raynaldo *in Annalibus*, hoc anno, exhibito. Statuta cum Canonicis conficit *an.* XXXVI. quorum ſub lege hodie vivitur, ſanctoque fine decedit, poſt quinque circiter annos, III. *Non. Martij.* Sepultus in Cathedrali retro Altare (uti traditur) B. M. *de Aurora*.

MCCCXLI. LVIII * JOANNES III. *de Arpatella*, qui licet ſingulari in Eccleſiam munificentiâ commendabilis evaſiſſet, ignotus tamen apud nos permanebat; antequam membranam antiquam prolixiorem eruderaſſem, in quâ, quæ Præſul ille, ſive vaſa argentea, ſive ſacra alia jocalia Eccleſiæ legaverat, ad verbum recenſentur. Eſt inſtrumentum anni XLIX. ejus ſæculi.

MCCCXLV LIX. * GUILLELMUS V. *de Albuſſiaco* vel *Albuſſaco*. Nec iſtius (ſaltem hoc ordine) penes nos habebatur notitia, cui, ex eodem inſtrumento, reperitur ſacra Deceſſoris ſupellex à Canonicis concredita, ingenti quidem fœnore: hæc enim pretioſis vaſis & ornamentis locupletata ad Capitulum ſolenni teſtamento tranſmiſſa eſt, à quo eandem mutuo rurſus accepit---

MCCC-XLVII. LX. * PETRVS III. *Alemani de Claromonte*. Fortè Delphinas, ex nobiliſſimo Alemanorum ſtemmate, ex eâ Provinciâ in varias ſtirpes diffuſo, è quarum aliquâ (Claromontanis, ut videtur, matrimonio tum copulatâ) prodiit iſte Petrus, qui vel diſcriminis ergo nomen illud ſuo connectere potuit. Cæterùm Præſul ille etiam deſiderabatur, quem lego Anniverſarium ſuum fundaſſe ſuper LVI. *lib. Provincial. an.* MCCCXLVIII. poſt quem, ſuperſtitem fuiſſe non autumo.

MCCC-XLIX. LXI. GVILLELMVS VI. *Amici* Lemovix Clementi V. carus, Patriarcha Hieroſolymitanus. Eccleſiam noſtram adminiſtratoriâ vice moderatur, quam & ſanctis ordinationibus & laudabili munificentiâ nobilitat: unde & illius memoria apud nos ſolenni anniveſario ritu reviviſcit II. K*al. Febr.* Tranſlatus inde ad Metropolitanam Aquenſem moritur Monſpelij *an.* MCCCLX. ſepeliturque in Cathedrali Lemovicenſi, ubi miracula ab eo facta eſſe teſtatur Chenutus *in Præſulib. Carnotenſibus*.

MCCCLXI. LXII. E. ex Schedis Nicol. *Antelmij*, quem etiam Electum in veteri Regeſto V. C. & deſignatum duntaxat adverti annotato. Sed hoc ipſo, ab eodem V. Cl. H. *de Suares* jam laudato mihi exhibetur----

MCCCLXI. LXIII. * PETRUS IV. qui diverſus omnino eſſe videtur ab E. Electo. Siquidem ex obitû ejuſdem Petri vacante Sede, Innocentij V. Bullato Diplomate *VI. Kal. Septemb.* illiuſque Pontificatus *an.* IX. ſufficitur ex præpoſito Ahentenſis Eccleſiæ----

LXIV. GVILLELMVS. VII. haud dubiè *de Rophiliaco*, (& niſi fallor Picto, ex antiquâ Gente *de Ruffec voluire*) namque ita circa hæc prorſus tempora Martyrologium noſtrum: *an.* MCCCLXVII. 3. *Id. Iulij D. G. de Rophiliaco Epiſcopus Forojul. tranſlatus eſt.* Quod intellexiſſem de tranſlatione ad aliam Eccleſiam, niſi idem D. H. *de Suares* repræſentaſſet mihi Bullam alteram Vrbani V. datam *Idib. Novemb. an. Pontific. tertio*, qui cadit in *an.* MCCCLXIV. quâ Sedes vacans memo-

ratur per obitum Guillelmi. Ergo tranſlatio illa hîc memorata aliud innuit, fortè tranſlationem corporis in Provinciam ſuam. Porro ex eadem Bullâ præponitur----

MCCC-LXIV. LXV. F. RAIMVNDVS III. *Daronis*, alias *Draconis de Podio Ricardo*, tranſlatus ex Epiſcopatu Telonenſi, cum nomen antea dediſſet Ordini Eremitarum S. Auguſtini: unde ſemper ſe F. vocitat. Ejus vicarius Nic. *Guillaberti* certas facit ordinationes cum Canonicis, pro ſolvendis in receptione juribus fabricæ & cappæ, ut vocant, idque *an.* MCCCLXVI. XXVI. *Ianuar.* anno autem inſequente diſtributionum Canonicalium diminutio facta eſt, per Joannem tituli S. Marci Cardinalem (*de Branſaco* ex Ciaconio) uti Commiſſarium Apoſtolicum ordinata eſt, ob penuriam Capitularis menſæ, quæ hodie etiam ad eandem paupertatem adigitur. Cæterùm Raymundi iſtius gratiâ, Joanna Regina *&c.* Provinciæque Comitiſſa ſpeciali authentico inſtrumento Neapoli dato IX. *Aug. an.* currentis ſæculi LXVIII. confirmat omnia jura & privilegia ab Ildefonſo aliiſque deceſſoribus Eccleſiæ conceſſa, cujus & poſt annos circiter duos regimen deſerit III. K*al. Aprilis.*

MCCCLXX LXVI. GVILLELMVS VIII. *De fonte* Prior N. *D. de areis* Telonenſis Diœceſeos, præcipuus ex deceſſoris familiaribus, malè ab aliis poſt Egidium infra memorandum collocatus, vix biennium in hâc Sede prætergreditur. obit XIII. K*al. Aprilis.*

MCCC LXXIII. LXVII. BERTRANDVS VI. *de Villemuro* ex proſapiâ Vicecomitum ejuſce nominis, in cujus præclara geſta incidimus ab inde ad *an.* MCCCLXXXV. Eum autem (quod præter morem, obitus ejus, abſque ullâ diei vel anni notâ, conſignatus eſſet in Tabulis) extra Diœceſim deceſſiſſe ſuſpicati eramus. Sed dubitationem omnem ſuſtulit obſervatio Peireſkiana Regeſti II. veterum inſcriptionum ab eo collectarum, quam mihi communicavit *D. Sibon* Regius Quæſtor Aquenſis. Eſt

autem ſepulchralis inſcriptio Fayentiæ (quod eſt oppidum Epiſcopij non ignobile) obſervata , ſic præferens: *Hic jacet Dnus Bertrandus de Villamuro Epiſcopus Forojulienſis qui obiit anno Domini* M C C C L X X X V. *die* X X X. *Maij.* cum gentilitiis ejuſdem inſignibus, prout erant in tumulo inſculpta.

MCCC-LXXXV. L X V I I I. LUDOVICUS. I. *Boilbiaci de Nova* ex Priore de *Carmelis Ord. S. A.* Diœceſ. S. Flori, ut colligo ex Bullâ illius nominationis, à Clemente VII. Avenione data III. *Non Aug.* ejuſdem anni LX X X V. ex vi reſervationis *eâ vice* à ſe factæ; quam reperi in archivo Capituli, præter multa ad Hiſtoriam Schiſmatis illorum temporum ſpectantia. Plura geſſit in Epiſcopatû ſuis momentis libranda. Sed nunc advertiſſe ſufficiat illius lethalem diem ſuperveniſſe *Idibus April. an.* M C C C C V.

MCCCCIX. L X I X. * EGIDIUS *Iuvenis* ex Rhemenſis Eccleſiæ Cantore, ſpontaneo Canonicorum ſuffragio poſt annorum IV. interpontificium tandem eligitur. Mox ad Piſanam Synodum ſe confert, ut probant illius acta, inter quæ ſubſcriptio illius reperitur, cum alterâ quidem cujuſdam Joannis ſeu *Jo. Forjulienſis* Epiſcopi; quem tamen noſtrum haud dixeris, multòque minùs Forojulienſem apud Carnos, cùm illic conſtituta Sedes non eſſet ex *Cap.* II. *Diſſertat.* noſtræ: ſed Forolivienſem, eundemque forſan, qui poſt annos X X V I I I. in Florentino Concilio nominatus reperitur inter ſex Theologos, ex parte Latinorum, contra Orientales diſceptaturos *Seſſion.* I. *&* I X. Quanquam & in eo errorem irrepſiſſe demonſtret Horatius *Juſtinianus in notis ad hoc Concilium tom.* XI. *Concil. par. ſec.* Joannemque iſtum olim quidem Forolivienſem, eò temporis tranſlatum fuiſſe ad Sedem Anconitanam, & Aloyſium quendam, ſeu Ludovicum ad Forolivienſem tunc aſſumptum probet, ex actis Conſiſtorialibus. Sed quidquid ſit de hâc ſecundâ æquivocatione, quoad primam de ſubſcriptione Joannis in Concilio Piſano, ſub nomine Forojulienſis Epiſc. certum eſt vel amanuenſium

nuenſium vel librariorum errore factam fuiſſe. Indeque forſan, Nic. *Antelmius* & *Sammarthani* Joannem quendam exhibent circa *an.* ineuntis ejus ſæculi XIII. quo tamen eodem, Egidius delegiſſe Andræam *Saladin* in Oficialem ſuum reperitur. *An.* autem XVII. & XXIII. *April.* facta eſt coram Egidio reſignatio Prioratus de Embriano, à Falcone *Giraudi*, in favorem Guillelmi *Gibelini.* quod notabile. Ejus gratiâ Yolanda Regina confirmat privilegia Eccleſiæ Forojul. VI. *Jun. an.* MCCCCXI. quo tempore erat *ob Regium ſervitium Ambaxiator ad Regem Francorum. An.* denique ejuſdem ſæculi XXI. VII. *Kal. Septemb.* fundat Canonicorum nobile Collegium in urbe Leonacenſi *Lorgues*, eodemque exeunte X. *Kal. Febr.* abit ad Superos. Quæ omnia paulò fuſiùs explanaſſe neceſſe fuit, quòd inter ea tempora, duo ſuppoſititij Præſules *Joannes & Egidius*, à noſtris diverſi, collocati eſſent.

MCCCCXXII. LXX. JOANNES IV. *Bellardi* ex Cenomanenſis Eccleſiæ Decano, eligitur à Cathedrali Collegio XVI. *Februar.* quæ fuit XXVI ab deceſſoris obitû dies; ut caſu elicui ex autographo inſtrumento membraneo ejus electionis, quod ad integumentum veteris regeſti aſſutum fuerat. Condidit Statuta, quæ recentia vocitantur, *an.* MCCCCXXVII. indigna prorſus quæ ſub ejus Præſulis nomine circumferantur; quippe, quæ, inter alia, Canonicorum reſidentiam, ad tres tantùm menſes in vitâ reduxerint. Sed his vel in elucidationem, vel in Divini cultus incrementum, lego ſubjuncta fuiſſe alia *an.* ejus ſæculi XL. & XVIII. *Maij.* Porrò legatione fungitur Joannes in Baſilienſi Synodo pro Ludovico III. cujus Anniverſarium fundat in ſuâ Cathedrali *an.* XLVII. Vnde definire eſt, utrùm ſederit quidam Joannes *de Sorbono*, ante annos tres, ut refert Aquenſis Annaliſta in *Ammone Nicolai*: niſi aſſeras, hoc etiam noſtro cognomen inditum fuiſſe, quod non puto.

MCCCCL. LXXI. *JACOBUS III. JUVENALIS *des Urſins* ex Archidiacono Pariſienſi, Patriarcha Antiochenus & Rhemenſis

Archipræſul : ſed hâc Sede abdicatâ in gratiam Joannis fratris ſui, noſtræ adminiſtrationem ſuſcipit *an.* MCCCCXLIX. *menſe Febr.* & die primâ ejuſdem menſis *an.* LII. ibidem Anniverſarium ſuum fundaſſe lego. Prior fuit Regalis Monaſterij S. Martini de Campis Pariſienſis, obiitque XII. *Martij* anni LVI. Sed eodem ſuperſtite----

MCCCC-LII. LXXII. JACOBUS IV. *Seguin.* Prior itidem ejuſdem Monaſterij, hujuſce Sedis ſe Epiſcopum vocitat in quâdam ſchedulâ relatâ à Mar. *Marrier in Hiſtoria hujus Prioratus*, quâ ſpondet quædam ſuis fratribus, dummodo aſſequi pacificè poſſit Eccleſiam Forojulienſem *an.* ſcilicet MCCCCLII. XXVI. *Januar.* Anno autem inſequenti & XXIII. *Junij*, Sedes vacans omninò memoratur, imo & *an.* LIV. Unde fortè meritò ſuſpicabar Jacobum iſtum, aut ex vi reſignationis à Jacobo Juvenale, aut Apoſtolicâ reſervatione, de Eccleſiâ proviſum, obſiſtentibus Canonicis, eam haud conſecutum eſſe : quamlibet Renatus Rex negotium vehementer apud eoſdem perurſiſſet, literis ſuis Andegavi datis XXIV. *Februar.* exeuntis anni, ut videtur, LIV. namque ex die VII. *Novemb.* anni ſubſequentis-----

MCCCC-LV. LXXIII. JOANNES V. *du Bellay*, ex Abbate S. Florentij in Andibus creatur Antiſtes. Sed Epiſcopatum regit per Vicarium ſuum Michaëlem *Groleau*: in Monaſterio (ut ex ejus literis colligo) degens, quouſque ſub finem *an.* LXI. Pictavienſem Cathedram adeptus fuerit ; ex compoſitione tamen prius initâ cum L. *Guerinet* ad eam aſſumpto : cui & promiſſa fuit certa annua penſitatio ex fructibus Pontificij. Et hâc fortè ut ſe exoneraret Joannes, auctor fuit ut ipſemet-----

MCCCC-LXII. LXXIV. LEO I. alias LEONETUS. *Guerinet* Decanus Pictavienſis & Senator Pariſienſis in Præſulem & ſucceſſorem ſuum à noſtro Cathedrali Collegio expeteretur, vertente *an.* LXII. Hic acer jurium Eccleſiæ vindex, pro temporalis dominij inſtauratione, adverſus Vniverſitatem, Regemque, litem prior movit.

Sed aut his fatigatus, aut aliâ mihi ignotâ de cauſâ, Sacerdotio renunciavit ante VII. *Octob. an.* LXXII. quo vacantis Epiſcopatus *paſcuorum arrendamentum* habeo: & tamen poſt annos duos *D. Leo olim Forojulienſis Epiſcopus* ſuperſtes legitur ex variis actis.

MCCCC-LXXVII. LXXV. URBANUS I. *de Fliſco.* à ſecretis Sixto IV. Pont. Max. & ab ipſo, vi reſervationis, inconſulto Renato Rege, & inaudito Capitulo circa *an.* LXXIII. nominatus, hiſque factum omnino improbantibus, non niſi poſt annos IV. receptus fuit. Hæc enim inter tempora Canonicos, anathemate ob id perculſos fuiſſe adverto in actis Capituli; non autem Regem ipſum, ut paſſim tradunt Hiſtorici noſtri. Sed rebus tandem compoſitis, Urbanus ſolenni pompâ Urbem ingreditur *an.* LXXVII. reis de more libertate donatis. Inde Romam repetens, *an.* MCCCCLXXXV. lucis uſuram amittit, fortè IX. Octobris die, quâ anniverſarium habet in *tabulis Capituli gener. Carthuſian.* cujus Ordinis *amicus magnus & plenum Monachatum habens* ibidem memoratur, ex laudato D. I. *Chauvet.*

Circa an. MCCCC-LXXXVI. LXXVI. * ROBERTUS *Briçonnet.* Guillelmi Cardinalis & Regni adminiſtri germanus, ad iteratam Caroli VIII. Regis, Annæque ſororis Monarchiam tùm regentis poſtulationem (ut evincunt, quæ eorum ad nos pervenerunt literæ) nominari quidem potuit à parte Collegij; ſed aut aliâ renitente, & in *Fliſcos* procliviore, aut ipſo Roberto ad potiores dignitates mox aſſumpto, ſufficitur defuncti Nepos---

MCCCC-LXXXVIII. LXXVII. * NICOLAUS I. *de Fliſco* ex Præpoſito. Hic tamen ſolùm ex præcitatis *tabulis Cap. gener. Carthus.* (in quibus ſub Forojulienſis Epiſcopi nomenclaturâ & uti fautor Ordinis commendatur *an.* LXXXVII. & VIII.) innotuit. Sed annis inſequentibus, idem, Epiſcopus Agathenſis dicitur: unde ſubit mentem dubitatio eum pacificam poſſeſſionem adeptum non fuiſſe; nam inter hæc tempora, Canonicos rurſus cenſuris ſuppoſitos adverto, & ipſo *an.* LXXXVIII---

Circa an. MCCCC. LXXXVIII. LXXVIII. RAIMVNDVS V. *de Anſeduna* Antiſtes deſignatur in Adverſariis Nicol. *Antelmij*, & vulgatis Catalogis, quanquam de eo, etſi tàm moderno, nulla ad me acta pervenerint.

MCCCC. LXXXIX. LXXIX. ROSTAGNVS. *de Anſeduna* cui ab *an.* LXXXIX. hominium præſtant pagani de Monte-auroſo *Montauroux*. Anno autem XCI. *&* XXVIII. *Maij* vicariam de Caſtro veteri *Chateauvieux* confert Joan. *de Monteacuto* Officiali ſuo, & poſt annos tres ad Metropolim Ebredunenſem aſſumitur: & ſecundò præeſt----

MCCCC. XCVI. LXXX. & LXXXI. NICOLAVS. II. igitur, *de Fliſco* tranſlatus ex Agathenſi, filius Jacobi & germanus B. Catharinæ Genuenſis, cujus & ſanctiſſimos mores in toto vitæ decurſu conſtanter retulit. Is jurium Eccleſiæ validus propugnator, litem à L. *Guerineto* Epiſcopo primùm motam magnis laboribus impenſiſque de integro perſecutus eſt; etiam poſtquam Cardinalis ab Alexandro VI. *an.* MDIII. renuntiatus fuit. Vir ſanè primæ integritatis, quæ cum, tàm ipſi Alexandro benefactori, quàm Julio II. Pontifici adverſari ſæpè compulit, quæque ei nihilòſeciùs ad plures Eccleſiaſticas dignitates aditum præbuit: & ad ſupremam tandem ultrò delatam ex eo ſolùm clauſit, quòd noluiſſet vir ſibi ſemper ſimilis, aliquos à ſe alienos Cardinales largitionibus demereri. Magno itaque ſui deſiderio relicto, obiit Purpurati Collegij Decanus *an.* MDXXIV. XVIII. K*al.* *Julij*, ad quem uſque diem Forojulienſem Sedem tenuit, quam variis temporibus, multis donariis & pretioſiſſimâ ſacrâ ſupellectili ditavit. Sed tunc ſuperſtes mihi non

MD. videtur----URBANUS II. *de Fliſco* Nicolai Nepos, & in Cathedrali Canonicus, Electus Epiſcopus Forojulienſis, ſeu Coadjutor vocitatus in Tabulariis noſtris, ab ineunte ſæculo, ad annum uſque XXI. unde poſthac fortè, vel ad aliam Eccleſiam tranſlatum, vel vitâ functum fuiſſe ſuſpicio mihi ineſt. Siquidem

poſtridie ejus diei, quo Nicolaus patruus exceſſiſſe notatur, renunciatus eſt à Clemente VII. in publico Conſiſtorio, perpetuus Adminiſtrator----

MDXXIV. LXXXII. FRANCISCUS I. alias FRANCIOTUS *des Vrſins*, Cardinalis, Pontificiſque affinis: cujus vice Diœceſim moderatur Angelus Odo *de Confinio* I. V. D. & tranſactionem init cum Oppidanis, ſuper multis antea motis controverſiis, *an.* MDXXVI. menſe *Septemb.* Porrò Franciſcus diem claudit extremum Romæ, anno ejus ſæculi XXXIII. IV. *Id Januar.*

MDXXXIII. LXXXIII. & LXXXIV. Leo II. *des Vrſins* conſequitur quidem Sacerdotium, ex patrui conceſſione ab *an.* MDXXVI. ſed Coadjutoris tantùm titulo; namque uſque ad Franciſci obitum, Eccleſiam ejuſdem nomine adminiſtratam fuiſſe ex actis colligo. Rexit autem proprio, Leo, ab inde, ad *an.* MDLXIV. & XI. *Maij*, quâ deceſſiſſe *hora ſeſqui-ſextâ matutinâ in die Feſto Aſcenſionis, & ſub Lampadario tumulatum fuiſſe* notat ejus ævi

MDLX. Necrologium. Seni autem deputatus fuerat Coadjutor---SIMON *Alcotus.* Antea conſecratus in Indinenſem, ſub Iconienſi Lichaoniæ Metropolita, qui quidem Tridentinæ Synodi habitis ſub Pio IV. ſeſſionibus interfuit, ſed ibidem vitæ terminum, biennio ante Leonem, reperit. Conſignatur enim in actis ejus obitus XX. *Auguſti an.* MDLXII.

MDLXV. LXXXV. BERTRANDVS VII. *de Romans* ex Canonico & Senatore Aqui-Sextienſi, poſt annum à Leonis obitû deſignatus, ſedit ad *an.* MDLXXIX. & XXII. alibi XI. *Martij*: quâ die obiit Fayentiæ, ſepultuſque eſt in Eccleſia Paroeciali.

MDLXXIX. LXXXVI. FRANCISCVS II. *de Bolliers* Abbas primùm Lirinenſis, & B. Mariæ Boni Portus in Neuſtria, cùm variis ad Tridentinos Patres & ad Pium IV. Pont. Max. egregiè exactis legationibus, Carolo IX. Regi ſolertiam ſuam ſingularem perſpectam feciſſet, nominatur ad hanc Sedem, paulo poſt Deceſ-

ſoris exceſſum; quem alibi in adverſariis V. Cl. Marci *Dolle* Proavi mei, Franciſci gratiâ, abdicationi conſenſiſſe lego: quanquam Bullatum Diploma Romæ datum *an* LXXIX. XI. *Kal. Junij* Sedem ſimpliciter ex Bertrandi obitû vacantem commemoret. Quo itidem anno *Decemb.* XXIII. Franciſcus poſſeſſionem ſolenni ingreſſu adipiſcitur, moxque jurium Eccleſiæ ſtudioſiſſimus litem illam temporalis dominij, ab annis CXX. variè agitatam inſtaurat: tandemque S.C. *an.* MDLXXXVI. in Eccleſiæ emolumentum maximum dirimi procurat. At cum Lutetiâ, ad Sedem rediret, ipſo in itinere, Siſtarici ex morbo interiit, *an.* currentis ſæculi XC. Sepulturâ exceptus apud Minores.

MDXCI. LXXXVII.* GERARDUS *Bellangerus* ex Aquenſis Eccleſiæ Canonico, ob pietatem & eruditionem commendato, ab Genebrardo *in ſua Miſſæ Liturgiâ.* Hic etſi poſt Franciſcum Præſul deſignatus, & hoc nomine Comitiis Lutetiæ coactis *an.* MDXCIII. ex parte Provinciæ interfuiſſet cum Elziario *de Raſtelis* Reïenſi, vix in hâc ſerie eſſet recenſendus: quòd ſcilicet turbatiſſimis temporibus Electus, & deinceps Fœderatorum, Meduanique Ducis partes, cùm Genebrardo, ſectatus, poſſeſſionem Sedis, pacificam ſaltem, non fuerit adeptus. Namque an. inſequenti Henricum Magnum ad eam nominaſſe lego laïcum adminiſtratorem: ſed eam tandem poſt ſex annorum decurſum conſequitur---

MDC. LXXXVIII. BARTHOLOMEUS III. *Camelinus*, ex Archidiacono, Præſul ſupra omnium laudem digniſſimus & commendatiſſimus. Urget executioni mandari, quæ Franciſcus deceſſor in Eccleſiæ jurium inſtaurationem judicia conſecutus erat; raroque in omnem partem exemplo, rem à gentilibus ſuis & familiâ auſpicatus, quæ eam nobilitabant Regia Urbis munera, primùm facit Eccleſiaſtica. Inde Civium indigentiæ ſpirituali proſpiciens, PP. Dominicanis & Soc. Jeſu, nec non Monialibus S. Benedicti domicilia in Urbe parat & proventus

aſſignat: inſolitoque omnium mœrore in fata concedit XVII. Kal *Julij* MDCXXXIII.

MDC-XXXIII. LXXXIX. PETRUS V. *Camelinus*. Ante ſucceſſor deſignatus, ſub Coadjutorio Philadelphienſis titulo, ædes Epiſcopales reficit & amplificat, Moniales S. Bernardi in Urbe dotat: & *an.* MDCLIV. exeunte *Januar.* moritur.

MDCLIV. XC. JOSEPH. ZONGO. *Ondedei* Nobilis Piſaurienſis apud Urbinates, variis muneribus in Romanâ & Regiâ curiis magnâ laude functus à Rege nominatur, & poſt confirmationem Apoſtolicam, reſidentiam & viſitationem facit. Tùm Seminarij Clericalis inſtitutionem ſuſcipit, utque annuâ Cleri præſtatione ſuſtentaretur, à Chriſtianiſſimo Principe Diploma impetrat menſe *Septembri an.* MDCLXIV. Sed ad ejus dotationem egregio exemplo præit venerandæ memoriæ Carolus *Taxius* Canonicus, qui exactâ vitâ ſummè laudabili, moriens novam illam Sodalitatem ex aſſe hæredem inſtituit. Quò factum fuit, ut in ejus ædibus Clericalis Congregatio primùm coalüerit, poſtquam S. C. *an.* MDCLXXIII. præfata Regia conceſſio in acta relata eſt, approbante Clero in Comitiis particularibus XIV. *April.* ejuſdem anni, & generalibus XVIII. *Octob. anni* LXXIV. quo Sedes vacabat, *ab* VIII. *Kal. Auguſti*, per obitum ipſius Antiſtitis: qui jam ampliſſimo cenſu ſacris Eccleſiis, Xenodochiis, & Religioſis domibus ex teſtamento aſſignato, ex ejus etiam præſcripto, ſepultus eſt in Cathedrali, in tumulo, quem (appoſitâ inſcriptione, ſapientiæ & humilitatis ſuæ indice) ſibi vivens paraverat.

MDC-LXXIV. XCI. BENEDICTUS II. ANTONIUS *de Clermont Tonerre Cruſy* nominationem obtinet X. *Kal. Decemb.* anni præmemorati, & poſt annos duos, eâdem die recurrente, poſſeſſionem init, Synodum convocat & Diœceſim luſtrat: moxque ad feliciter incepti, à Deceſſore, operis conſummationem converſus, acquiſitis ampliſſimis ædibus, Seminarium Clericale,

ad normam Aquenſis Metropolitani, celeberrimi & ordinatiſſimi (è quo, velut ex alterius HIERONYMI magiſterio, prodeunt Ruſtici & Nepotiani) de novo congregat & inſtituit, ſub invocatione S. Leontij Epiſcopi, quem præ Sacelli foribus *Cleri univerſi Patronum* inſcribit V I. *Kal. Maij an.* MDCLXXVII. & IX. *Kal. Sept.* anni inſequentis, vitâ abit. Sepelitur in Cathedrali: ejuſque, florente adeo ætate, extincti (vix enim XXXV. annum attigerat) tumulo, Nos Canonici hæc apponi curavimus.

STA VIATOR ET AUDI
ILLUSTRISS. D. ANTON. BENEDICTUM
DE CLERMONT TONERRE,
ALTERUM ECCLESIÆ FOROJULIEN. ANGELUM.
ECCLESIASTEN AGENTEM ETIAM POST OBITUM.
NAM ET MORTUUS, QUASI TUBA EXALTAT UOCEM SUAM.
NON DE PULPITO, UT OLIM, SED DE LOCULO,
NON VERBO, SED EXEMPLO SUO
QUID AUTEM CLAMAT? OMNIS CARO FOENUM:
ET OMMIS GLORIA EIUS, QUASI FLOS FOENI. EXSICCATUM EST FOENUM, ET CECIDIT FLOS, QUIA SPIRITUS DOMINI SUFFLAVIT IN ILLO.
ABI VIATOR:
ET OPTIMI PASTORIS PIIS MANIBUS PERENNEM GLORIAM APPRECARE.
OBIIT. &c.

MDCLXXIX. XCII. LUDOVICVS II. *d'Anglure de Bourlemont* in Romano Rotæ Tribunali, ex Regiâ nominatione, ut vocant, Auditor: ob ſapientiam, moderationem, integritatem, reſque in eâ Curiâ, per annos fermè triginta, ad Imperij Gallici Majeſtatem, gloriamque tuendam & promovendam, ſummâ laude geſtas, beneficentiſſimo Principi acceptiſſimus, ab eodem, ad hanc noſtram Sedem nominatur VI. *Kal. Martij* currentis hujus anni MDCLXXIX. quo & ſub titulo, conſecratus Romæ aſſeritur *Kal. Octob.*

Explicit nomenclatura.

DIATRIBA

DIATRIBA SEU APPENDIX II.
De Eccleſia Reïenſi & Monaſterio Lirinenſi.

CAPUT I.

Ex Oratione Fauſti in obitû S. Maximi, Reïenſium Epiſcoporum chronologia Caſtigatur & elucidatur: Epiſcopatus S. Proſperi rejicitur.

MULTA reportari lucra, ex rectâ locorum Fauſti in Oratione ſuâ panegyricâ, intelligentiâ pollici ti ſumus *cap.* XIX. At parum forſitan fuiſſet, vel initia Epiſcopatus S. Maximi, vel finem adminiſtrationis S. Leontij illorum auctoritate jam ſtabiliſſe; ni rurſus Achillis illius juvamine S. Proſperi in Reïenſi Cathedra ſeſſio corrueret, totaque Reïenſium Præſulum Chronologia (quò eidem Proſpero locus ſupereſſet) penitus interturbata, reſtitueretur & integraretur.

ET quidem Simon Bertellus Reïenſis presbyter, qui circa annum currentis ſæculi trigeſimum ejus Eccleſiæ hiſtoriam, ut bonus civis, concinnaverat, inciderat revera in ipſum Fauſti locum, manuque ipsâ, ut ita loquar, rem contrectaverat: ſed præventus haud dubiè patriæ gloriæ vehementi ſtudio, cui maximam conferri acceſſionem ex Epiſcopatu S. Proſperi exiſtimabat, periodi illius membrum in adverſum omninò

ſenſum converterat, quod propalandi erroris cauſâ hîc rurſus exhibemus: Maximus, *quaſi annorum hebdomade tranſactâ, nam totis ſeptem annis ibidem*, Lirini, *Chriſti gregem pavit, Rachel acquiſiturus præfertur Inſulæ, præparatur Eccleſia.* Hæc igitur verba de Maximi in Inſula regimine, per ſeptem annos exacto, genuinè intelligenda, Bertellus ad Reïenſis Eccleſiæ moderamen palmari hallucinatione applicare voluit; totidemque duntaxat annos Sedi illi præfuiſſe contendit: magna quidem ſui admiratione, quorſum tàm arcto adminiſtrationis ſpatio, tot tantaque ab ejus vitæ ſcriptoribus in Epiſcopatu commendata præſtare potuit S. Pontifex?

Sed nec alitèr Hiſtoricus ille glorioſiſſimi Proſperi nominis ſtudioſus hunc uti Præſulem ſuæ poterat inſerere Chronologiæ: operæ ſiquidem pretium erat, illum, ante Maximum collocare, qui cum habuiſſet ſucceſſorem Fauſtum, cujus Epiſcopatus quinti ſæculi finem attigerat, non poterat iſte poſt ſe recipere Proſperum, ſub ejuſdem ſæculi finem mortalitate exutum.

Igitur quò res tota rurſum ob oculos poſita facili nunc expediatur negotio, cum exploratiſſimum ſit ex adductis *cap.* XIX. præcitato Maximum Honorato in Lirinenſi Præfecturâ ſuccedentem *an.* CCCCXXVI. poſt annos ſeptem ad Reïenſem Cathedram aſſumptum fuiſſe, quovis, in eâ, tempore ſederit, cùm habuerit Fauſtum ſucceſſorem, quod evincit ſæpius recantatum Sidonij Carmen ad ipſum Fauſtum:

Fuerit quis Maximus ille
Urbem tu cujus Monachoſque Antiſtes & Abbas
Bis ſucceſſor agis:

Cum ipſum, inquam, ſucceſſorem habuerit; Fauſtuſque in ſenectute ipſa fortis & vegetus annum jam centeſimum prætergreſſus fuerit, ejuſque annos dextera numeraverit, ut habet

idem Sidonius *Lib.* IX. *Epiſt.* IX. facile circa decurrentis ſæculi finem dies produxit: unde Proſper non potuit eum excipere, qui ex Philippo Labbæo in ſuis ad Bellarminum *de ſcriptorib. Eccleſiaſtic. Commentariis*, in vivis eſſe deſiit circa *an.* CCCCLVI. ut probare contendit ex Victorij Aquitani *Epiſt. ad Hilarium S. R. E. Archidiaconum*, quam ſcripſit, anno ejuſdem ſæculi LVII. eò quod in ea Proſperum *virum ſanctum & venerabilem* commemoret. Sed de eâ conjectura quidquid fuerit, ex omnium Chronologorum conſenſione, non peruenit S. Proſſper ad Evarici Uveſegotorum Regis tempora, quibus Fauſtus Reienſis adhuc ſuperſtes, & ad eum Legatus extiterat.

Igitur caliginoſis initiis iſtis, accuratioris Chronologiæ diſquiſitione elucidatis, horum ſeries Præſulum planior cohærentiorque ſuppleri poterit, cui etiam aliquid qualiſcumque operæ noſtræ locare, eò libentiùs aſſentimur, quòd inde fidem quam dederamus, fore ut aliquando Provincialium Antiſtitum Chronologiam illuſtraremus, ex parte liberare ſuppetat; ſtudiumque inſuper & reverentiam, quibus erga hanc Sedem celebratiſſimam afficimur, manifeſtare nobis ſit ſuaviſſimum.

Sed hærere me in limine fateor, dùm primo calami ductu plurium Præſulum nomina expungere ratio poſtulet. Cùm tamen nulla ſui parte poſſint conſiſtere, nulliſque eos momentis ſtabiliat Bertellus, præſtat eos rejicere, initiaque obſcura Sedi illi derelinquere, (quod Antiquiores patiuntur) quàm fictitios Protomyſtas eidem vindicare. Quocirca & S. Euſebio & S. Albano ex catalogo eliminatis, Maximus etiam tertio loco ordinatus parem fortunam ſortiatur oportet; non ſecùs enim, ac præcedentes prorſus fictitius eſt: adeoque mirabile Chronologum eidem adſcripſiſſe ædificium Baſilicæ S. Albani *an.* CCC. quam diſertis verbis, ſplendidoque illo operæ pretio quod extollit, adjudicat S. Maximo Lirinenſi poſt annos

centum & quinquaginta. Dynamius Patricius, diligens vitæ illius ſcriptor, his omnino verbis: *Templum in Reïenſi Caſtello in Beati Albani honorem, quantâ potuit animi devotione, condidit, cujus columnas, hodieque illic cernere Licet, juga boum eò pertraxerunt.* Hæc Dynamius.

Sed neque qui ſubſequitur Victor, potiori auctoritate ſuffultus præbet ſe conſpicuum, quam enim, ex Savarone *lib.* IV. *Epiſt.* XV. Sidonij, ingerit nobis Bertellus, nulla eſt, nec in ea ullus uſpiam, cujuſquam, Victoris apex reperitur. Dormitavit igitur omnino, ne durius dicam; *quis enim tam ferreus ut teneat ſe?* cum hoc ſe clypeo, in erroris ſui defenſionem, munire voluit; nam in ipſa *Epiſtola* XV. *pag.* 277. ſecundæ editionis, ad quam ita aſſeveranter remittit ille, Savaro tantummodò in explicatione illius Sidoniani dicti: *aggere Cochleatim facto*, Varronem & Vitruvium pro hujuſce locutionis auctoritate profert. *Vitruvius*, inquit, *lib.* X. *cap.* XI. *cochlides columnæ in templo D D. Trajani & Antonini.* Tùm continenter ſubiungit: *P. Victor Reg.* 8. *&* 9. *id eſt intrinſecùs gradibus perviæ.* Producit ergo Savaro *P. Victorem*, qui XIV. urbis Romanæ regiones deſcripſit, & quem in noviſſima illarum delineatione profitetur ſecutus eſſe, Onuphrius Panuinus; & Burtellus, ex eo, Victorem Reïenſem conflat, & nobis obtrudit, inconſultiſſimo omnium facto, quod demonſtraſſe, confutaſſe eſt.

Qui ſuccedit ordine quintus, Faventius ſcilicet, emendicatus eſt ex Sede Rhegienſi in Æmiliâ, quique uti Mediolanenſis Metropolitæ ſuffraganeus ſubſcripſit Epiſtolæ ad Leonem Papam directæ, pro adſtipulatione doctrinæ de Incarnatione, ad Orientem à Leone tranſmiſſæ, quam etiam, anno præcedenti, Provinciales Epiſcopi, inter quos, Maximus Reïenſis aderat, ſubſcriptionibus ſuis firmatam ad eundem Pontificem dederant. Unde & qui poſt Faventium recenſetur à Bertello Maximus ſecundus, fictitius eſt, ſi diſtinguatur à

Maximo Lirinenſi, quod contendit præfatus Hiſtoricus. At cum tradat eum interfuiſſe Synodis Reïenſi & Arauſicanæ primæ, habitis poſt *an.* CCCCXXXIII. quo Maximus Lirinenſis Reïenſem Cathedram conſecutus erat, liquidum eſt Maximum illum ſecundum & tertium ex Chronologia Bertelli, unum & eundem fuiſſe Præſulem, adeoque & primum ex Reïenſibus, qui probato uſquequaque teſtimonio innotuerit.

CAPUT II.

Quis Maximo in Epiſcopatu præivit? qui illum exceperint?

ETSI qui hactenus in vulgatis Catalogis exhibiti ſunt Præſules, fictitij ſint, non inficiamur tamen ante Maximum Sedem Reïj conſtitutam fuiſſe; imò & illud apud nos eſt certiſſimum, & patebit unicuique verborum Fauſti in oratione contextum expendenti: *non poſt longum tempus* (reſpicit ad illud tempus quo Maximus Forojulienſem Cathedram declinavit) *Sancto orbata Paſtore Populi præſentis Eccleſia* (Reïenſis ſcilicet.) Ergo ex eo habemus nunc, non modo in Reïenſi Civitate ſediſſe Præſules ante Maximum, ſed & ipſum quem excepit Lirinenſis Abbas, ſanctimoniâ clarum fuiſſe, cum eum Paſtorem ſanctum, Fauſtus utriuſque ſucceſſor memoret.

SED quis tandem fuerit beatus ille Epiſcopus & quo nomine deſignandus? certè prætermiſit Fauſtus, & unicus vitæ liber continet, quod noſtri exhibere non poſſunt, probati ſaltem: nam liber ille qui circumfertur vitæ S. Honorati (de quo ſuperius ſententiam noſtram aperuimus) cap. XLI. diſertè teſtatur deceſſorem S. Maximi fuiſſe Fabianum. Attamen & cum libri hujuſmodi plerunque vera etiam promiſcuè cum fictis in-

volvant, & firmiori teſtimonio exploratum ſit, S. Maximo præiviſſe alium Antiſtitem; quouſque de illius nomine aliter conſtiterit, nil cauſæ apparet cur fides auctori Libelli illius, in eo detrahi debeat.

Igitur, citra eorum præjudicium qui hæc tempora præceſſerint, primo loco conſpicuus appareat

I. S. Fabianus qui ſedit uſque ad annum circiter CCCCXXXIII. abinde . . . .

II. S. Maximus uſque ad *an.* CCCCLX. quem excepit . . . .

III. S. Faustus I. qui pervenit uſque ad an. currentis ejus ſæculi LXXXV. . . . .

IV. Contumeliosus ſexto ineunte ſæculo regimen ſuſcepiſſe videtur ad *an.* DXXXIV. initium, quo, Canonicâ ſententiâ exauctoratus perhibetur ex Epiſt. Joannis Papæ, ejuſdem Pontificatus *an.* VII. Id. Apr. ex cujus ſententiâ, à S. Cæſario Metropolita ad moderandam Diœceſim delegatus eſt.

V. Episcopus Viſitator, ab eodem *an.* DXXXIV. Contumelioſus tamen appellationis beneficio ad Sedem regreditur, permittente Cæſario, & Emerito defenſore, ſeu procuratore Eccleſiæ annuente; ſed ex adverſo improbante Agapeto Pontifice, qui eum ab Diœceſeos adminiſtratione prohibendum cenſuit, quouſque rurſus ejus cauſa examinata fuiſſet (ut conſtat ex ejuſdem ad Cæſarium Reſcripto *an.* XXXV. XV. Kal. Aug.) quâ tamen cecidiſſe ex ſilentio ejus geſtorum; & impacti criminis gravitate colligere convenientius judicamus, quàm cum Bertello nugari, qui eum ad Cæſarij Epiſcopatus finem perducit, hòc eſt, ex vulgatâ putatione, uſque ad *an.* XLIV. quod inquit, cum ſuo Metropolita Conciliis Arelatenſi IV. Vaſionenſi & Carpentoractenſi (nam Arauſicanæ II. nomen non dedit) ſubſcripſerit: quaſi hæc ipſa Concilia longè ante *an.* XXXIV. quo à Pontificio ſuſpenſus eſt, habita non fuiſſent.

VI. Faustus. II. actis Concilij Arelat. V. an. DXLIX. conſenſit per Claudianum Diaconum, non ante Epiſcopos, ut putat Bertellus, ſed inter procuratorum diverſarum Eccleſiarum nomina, ſuum etiam apponentem.

VII. Emeterius ſeu Emeritus: fortè ex Eccleſiæ defenſore ſub Contumelioſo, ut putat Reïenſis Hiſtoricus (niſi tamen ad Ebredunenſem Metropolim aſſumptus ſit) per delegatum ſuum Claudianum Arelatenſi V. Synodo ſub Sapaudo ſubſcripſit.

VIII. Claudianus Synodi Pariſienſis IV. acta in cauſa Papoli Carnotenſis ſuffragio ſuo firmat. *an.* DLXXIII. at qui ſubſequitur in ſerie Reïenſi ejuſdem auctoris, Fauſtus tertius nullus eſt. Quod enim Dynamius Patricius, adhortante Urbico Reïenſi Præſule, S. Maximi vitæ ſcriptor, in operis nuncupatione, ita exordiatur: *Præfatio auctoris ad Urbicum Epiſcopum Reïenſem ſucceſſorem Fauſti*: non inde colligi poteſt Fauſtum immediatè Urbico præiviſſe, qui potuit etiam ejus ſucceſſor aſſeri poſt tres Præſules intermedios eadem ratione, qua idem Dynamius in ipſo contextu præfationis B. Fauſtum Epiſcopum S. Maximi ſucceſſorem & encomiaſtem, ipſius Urbici prædeceſſorem diſertis verbis aſſeverat. Sed ex alio capite Bertelli ratiocinatio corruit, hæc enim verba: *Præfatio auctoris ad Urbicum Reïenſem Epiſcopum ſucceſſorem Fauſti*, non ipſa eſt Dynamij nuncupatio, ſed vel Amanuenſis ad elucidationem operis nota, vel interpolatoris ſubjectio: quod id ipſum ſatis arguunt quæ ſequuntur: *Creatur Epiſcopus Maximus an.* CCCCLXVI. quæ falſiſſima ſunt, & à Dynamio prorſus aliena, quem utique Epiſcopatus Maximi initia, ad an. ejuſdem ſæculi XXXIII. ſuperius collocata, latêre non poterant. Germana autem Dynamij ad Urbicum operis inſcriptio hæc planè eſt: *Domino Beatiſſimo Patri Urbico Papæ Dynamius*, ut legenti innoteſcet. Interpolatori igitur in titulo operis Ur-

bicum Fauſti ſucceſſorem declarandi, non alia occaſio fuit, quàm dùm in ipsâ præfationis ſerie B. Fauſtum ipſius Urbici prædeceſſorem deſignari animavertit. In quo quidem minus peccavit, quàm Bertellus, cum Urbicus Fauſti ſucceſſor diei poſſit, at non immediatus, ut voluit ille. Itaque non Claudianum excepit Fauſtus III. ſed vel quis alius adhuc incognitus, vel

IX. Urbicus. Cujus acta leguntur uſque ad *an.* DXC. ſed qui in eadem ſerie exhibetur Bonifacius S. Gregorio Papæ notus; non quidem eſt è Reïenſi Cathedrâ in Æmilia, uti Faventius, ſed è Rhegienſi, aut Rheginenſi in vlteriori Calabriâ, cujus Metropolis eſt in ore freti ſiculi ex adverſo Meſſanæ noſtræ, decerptus; ad quem non una ſolum, ſed plures S. Gregorij extant Epiſtolæ, quæ paſſim occurrunt *in regiſtro ejus Epiſt.* Sed nulla, quod in vulgatis hactenus editionibus viderim, extat, quæ Paulini Regienſis quem poſt Bonifacium rurſus obtrudit auctor, mentionem habeat, nam in Epiſtol. L. libri IV. quam indicat, Simoniacam pravitatem univerſim ſuggillat Pontifex, nec de Paulino vel Reïenſi vel alio quidquam attingit: Et in alterâ *Epiſtol.* XXXV. *lib.* X. contra Paulinum ſpecialiter datâ, ex gloſſatoris illius ſententiâ contra Paulum non Reïenſis, ſed Docleatinæ Civitatis in Illyrico, ad Rhiſonicum ſinum, ſub Metropoli Acridenſi olim, nunc ſub Raguſianâ Metropoli Epiſcopum, facultatum Eccleſiæ prædonem cauſa agitatur. Sed erroris cauſam tandem detexi, vereor tamen ut tam facile excuſationis argumentum reperiatur; extat ſiquidem ejuſdem S. Gregorij *lib.* X. *Epiſtola* XXXI. *ad Columbum Numidiæ Epiſcopum de perverſitate Paulini Regienſis Epiſcopi* per ſimoniam ſubditos ordinantis; ſed hunc in Numidiæ Provinciâ requirere operæ pretium erat, ubi ejus ſedes verè conſignata eſt in notitiâ Epiſcoporum Africæ ſub titulo Regianenſis: in Phocenſi noſtrâ quorſum ſpectabat

ſpectabat inveſtigare? niſi exiſtimarit Bertellus Numidiam eſſe eidem conterminam, & S. Gregorium Epiſcopi delinquentis cauſam alteri ex vicinioribus Collegis demandaſſe; in quo ſanè ſi non toto cœlo, toto ſaltem mari aberravit.

Incassum ergo fatigat ſe vir bonus, ad ejuſce negotij exitum perſcrutandum; cui profectò conducibilius fuiſſet, eò diligentiam ſuam convertiſſe, unde hunc Præſulem Paulinum extraneum & emendicatum eſſe perdidiciſſet, quod, ex ſola lectione epiſtolarum quas indigitat, non aſſequi non poterat.

Supersunt & alia plurima in hâc hiſtoriâ, quæ manu medicâ egerent, & ſi fictitij hactenus deprehenſi ſunt aliqui Præſules, ſubſequuntur alij omni Epiſcopali gloria præcellentes, aut illaudati, aut ab auctore operis penitus prætermiſſi. Sed in præſenti initia emaculaſſe nobis ſufficiat, quod tamen, ſi quo operæ pretio executi ſumus, ſique jam

Dimidium facti qui bene cœpit habet:

futurum erit aliquando, ut favente numine, nobiliſſimæ illius Sedis hiſtoriam elucubrare aggrediamur.

CAPUT III.

Inveſtigantur Monaſterij Lirinenſis Initia.

Tanto conſenſu rejecta hactenus fuerant Lirinenſium initia circa annum à Chriſtô nato trecenteſimum ſeptuageſimum quintum, ut valdè aliquibus viſum fuerit inſolens, ſcripſiſſe me in eam ſententiam prope adductum iri, Lirinenſe Cœnobium ineunte quinto ſæculo coaluiſſe; unde nunc cum primum ſe offert occaſio, vel dubitationis noſtræ, vel ſententiæ rationem proponere, & utrumque eruditorum judicio ſubmittere compellimur.

Et quidem verſata eſt jugiter difficultas noſtra circa res geſtas ſanctiſſimorum illorum Lirinenſis Cœtus Fundatorum, Leontij videlicet, Capraſij & Honorati, quos eadem ætate degentes credere cum probata adſtringat auctoritas; creditû ex adverſo non ita facile viſum eſt, ut computatis incertis illis communi opinione conſtitutis initiis, ad eam ætatem beati illi viri pervenerint, quæ certiſſima Chronologia & omnium ſcriptorum calculo firmata hactenus perſeverat.

Quod enim ad Leontij vitæ acta pertinet: cum vix ferret illorum temporum diſciplina, ut non niſi ætate venerandi homines ad ſummum Sacerdotium eveherentur; ſi tunc Leontio quadrageſimum annum ætatis adſcribamus; quandò Honoratus ad eum jam Epiſcopum acceſſit anno CCCLXXIV. hiſque addas annos viginti ſex illius ſæculi reſiduos cum duobus ſupra triginta, quos ſuccedenti ſæculo eundem Leontium noſtrum attigiſſe demonſtravimus, exurget Leontij ſenecta ad annum centeſimum, quod in uno non arbitraremur ita ſingulare, ni in ſuccedentibus, idem occurreret, ex hâc epochâ.

S. Capraſius ſiquidem *perfectæ conſummatæque gravitatis ſenex* deſcribitur ab Hilario, cum S S. Juvenes Venantius & Honoratus ſe illius diſciplinæ ſubdunt. At tali tu ſeni ſaltem ſexageſimum vel ſexageſimum quintum annum tribues, & è peregrinatione reduci ultra ſeptuageſimum; habet enim auctor vitæ illius, Sanctum ſenem, Honoratum & Venantium per terras mariaque aſſiduè comitatum eſſe, licet jam eſſet *annorum gravitate confectus.* Quæ verba, multum in rem noſtram habent ponderis.

Residuum nunc eſt ut finem & obitum illius firmemus; certumque in primis occurret ſuperſtitem adhuc fuiſſe Capraſium anno quadringenteſimo ſupra nonum & vigeſimum, quo ad Arelatenſe ſolium evocatum Hilarium animadvertimus, cum iſte Lirinum repetens, & pontificalis ſuæ dignitatis quaſi

oblitus, morientis Capraſij ſe orationibus commendans deſcribatur, in jam citatis vitæ actis apud Barralem *Lirin. Chronologum.* Sed nec rurſus anno decurrentis ſæculi trigeſimo ut habent illa, obiit S. Senex; nam cum fidem faciant vitæ acta S. Hilarij à S. Honorato Maſſilienſi conſcripta, Hilarium tunc temporis futurorum præſcium, *Fauſtum Presbyterum pariter & Abbatem ſic honoraſſe, ut inter ſe & Sanctos Sacerdotes Theodorum & Maximum compelleret reſidere*, manifeſtè evincitur Capraſium obiiſſe poſt annum CCCCXXXIII. ſi enim reſumas quæ *Cap.* XIX. *diſſertationis noſtræ* probata ſunt, Maximum ſcilicet ordinatum non fuiſſe Epiſcopum, niſi poſt ſeptem annos ab Honorati diſceſſu ex Inſula, probatum itidem manebit Fauſtum, qui tunc memoratur Abbas (poſt Maximum utique, tum Reïenſem Præſulem) regimen Monaſticum non ſuſcepiſſe ante annum quinti ſæculi trigeſimum tertium evolutum. Atque in præſens, quamquam re incertâ, nolumus ultra ſubſequentem annum trigeſimum quartum obitum Capraſij produci, hunc enim, *an.* CCCLXXV. ſeptuageſimum annum prætergreſſum, nunc trigeſimum ſupra centeſimum compleviſſe, ex hoc computo fateri cogeris.

De S. Honorato aliquid delibandum ſupereſt & quidem pro certo habemus, illum adoleſcentiam jam aſſecutum, baptiſmum concupiiſſe, patremque multis adhibitis moris & diverticulis illius propoſitum retardaſſe, ſed & Chriſtianum, ſacrâ ablutione effectum, aliquandiu in patrio ſolo commoratum fuiſſe; quorum omnium diſertus eſt adſtipulator S. Hilarius in Oratione illius funebri. In hoc autem temporum intervallo facilè potuit annus ejus ætatis ſextus & vigeſimus prætcrlabi, antequam longam & difficilem Orientis peregrinationem ſuſceperit; in quâ qui accuratius expendet, varias quas inviſit regiones & regna, *expetitaque litora* (ut habet Hilarius) *quibus barbara eſſet, etiam illa quæ plurima in ipſis erat*,

Romana eloquentia, non difficulter aliquot annos in hoc itinere conſumptos arbitrabitur. Unde ad Forum-Julij redux, & Sacerdotio initiandus, & quod majus videbatur, Congregationi præficiendus, debuit *an.* CCCLXXV. (quo regimen ſuſcepiſſe volunt) annum ætatis ſuæ quadrageſimum, vel ad minus ſextum & trigeſimum propiùs attigiſſe; nec enim, quæ tanta erat Honorati modeſtia & humilitas, ante hoc tempus regimen ſuſcipere permiſiſſent. Haud enim ignorabat Vir Sanctus præceptum, quod ex Patrum inſtitutione manaſſe refert Caſſianus *lib.* II. *de inſtitutis Cœnobior. cap* III. videlicet: *ut nullus Congregationi fratrum præficiendus eligeretur, priuſquam idem qui præficiendus eſt, quid obtemperaturis oporteat imperari, obediendo didicerit; & quid junioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuerit aſſecutus.* Namque & immeritò reponeretur Capraſium conſummatæ gravitatis Senem Congregationem tùm moderatum eſſe: etenim præterquam quod nullus ejus temporis Scriptorum id affirmat, contrarium expreſsè aſſerit D. Eucherius *in homil. depoſitionis B. Honorati; ille*, inquit, (nempe Honoratus) *gubernabat imperio, iſte conſilio: ille vigilabat ſoliciti Paſtoris officio, iſte in ſecreto poſitus, velut in monte remotus, aſſiduo Deum interpellabat oratu.* Tota igitur Honorato indiſtinctè commiſſa erat Aſceterij illius inſignis adminiſtratio; atque ita ſi tunc annum currebat circiter quadrageſimum; nonageſimum compleverat, quando *an.* CCCCXXVI. in Arelatenſem Præſulem expetitus fuit. At vix ferebat diſciplinæ ratio, vix uſus temporum patiebatur, ut tam decrepitum ſenem jam jam ad Monaſticum regimen inhabilem, ad tantæ Metropoleos habenas capeſſendas evocaſſent Arelatenſes.

SED nec S. Hilarius diligens vitæ ſui prædeceſſoris ſcriptor, de illâ tam productâ ſenectâ quidquam inſinuat, quinimo ejus animi corporiſque mirum vigorem obſervat, cum jam in extremis verſaretur: *Operari*, inquit, *inter extrema non deſtitit*,

tùm doloribus jam reluctantibus Epiphaniorum die, in Eccleſiâ ſermonem habuit, neſciens unquam, colluctante cum doloribus fide, dolori magis corporis, quàm Spiritus fervori acquieſcere. Sequuntur & ſimilia, quæ vix ac ne vix quidem cohærere poſſent, in homine annorum potius gravitate confecto, quàm (ut ait etiam Hilarius) ex eo quod, *diù dilata infirmitas, nimio dudum propoſiti rigore contracta ingraveſcens, octavo ab Epiphaniorum ſolemnitate die, illum paulatim extenuando confecerit.*

Denique in mentem revocat habita Hilarij mentio, aliud ex ejus converſione, argumentum in rem noſtram producere. Enimverò ſimile admodum veri eſt, ipſum Hilarium tamquam optimæ indolis multæque ſpei juvenem Honorato ante profectionem ſuam de facie notum fuiſſe, quò illius causâ patriam ſuam quam hactenus faſtidierat (teſte ipſo Hilario) feſtinus repetierit, ut Chriſto contribulem lucrifaceret. Certè inſinuant illud tàm Hilarij verba *in Oratione funebri S. Honorati*, quàm ea, quæ de eodem argumento S. Honoratus Maſſilienſis tradidit *in vita* ejuſdem *S. Hilarij*: ut otioſiùs rem expendenti *manifeſtum fiet.*

Quæ ſi ita ſint, dubio procul S. Honoratus patrium ſolum non dereliquit ante V. ſæculum inchoatum, quo utique tempore Hilarium natum eſſe ex probatis argumentis colligitur. Namque S. Honorati Maſſilienſis expreſſa aſſertio eſt Hilarium vix annum ætatis XLVIII. expleviſſe, ita enim habet in ejus vitâ: *Abſtinendo victu, operi inſiſtendo, itinera pedibus conficiendo, ita ſe tenuavit, fatigavit, exhauſit, ut vix quadrageſimi octavi anni circulum adimpleret.* Extat inſuper Leonis Papæ *Epiſtola* .CXI. *data menſe* Septembri *ad Epiſcopos Provinciæ ſuper electione Ravennij* in Hilarij defuncti locum ſubrogati, *Aſterio & Prothogene Coſſ.* quorum Conſulatus cùm incidat inannum currentis ejuſce ſæculi XLIX. manifeſtè evincitur Hilarium hoc anno mortalitatem exuiſſe III. Non. Maij, conſequenterque & natum *an.*

CCCCI. Eum igitur ſi ante profectionem ſuam, de facie agnovit S. Honoratus, hanc non niſi poſt hoc tempus ſuſcepiſſe reputandum eſt. Sed hæc alij aliò deflectere poterunt, & S. Honorati erga Hilarium ſolicitudinem ad conſanguinitatem, quâ erant ambo conjuncti, haud ſcio an minus probabiliter referre.

At vix aliter, quàm in ſententiæ iſtius, de poſteriori Lirinenſium inſtitutione, robur, interpretanda veniet Caſſiani recantata toties aſſertio, *Præfatione ad* XVIII *Collationem*, quâ: Theodoro Stœchadum Abbati *Cænobiorum Sanctam atque egregiam diſciplinam in Provinciis Gallicanis* fundationem adſcribit. Siquidem illud falsò aſſeveraſſet tantus Scriptor, ſi S. Honoratus circa annum CCCLXXV. Lirinenſem Congregationem inſtituiſſet; nam longè ab eo tempore Theodorum noſtrum Monaſticam profeſſionem in Gallias intuliſſe ſentire compellunt quæ de ejus geſtis, proſtremis Diſſertationis noſtræ capitibus attigimus.

Atque hæc de Lirinenſium initiis eventilata ſufficiant; quæ tamen à me allegata credi nollem, ſolo animo inſanâque prurigine ſententiæ hactenus receptæ adverſandi & contradicendi, multòque minùs rem definiendi, qui potiùs dubitationis meæ cauſas hîc ſolum proponere velle teſtatus ſum. Neque enim primus hunc lapidem movi; id ante me præſtitit vir exquiſitæ eruditionis Henricus de Noris in ſua *Hiſtoriâ Pelagianâ*, remque penes ſe habet certiſſimam. Sed licet mihi multis titulis videatur commendandus Scriptor ille, non tamen abnuo, non uſquequaque firmo ſententiam ſuam ſtabiliiſſe fundamento, cujus totum robur collocat in exiſtentiâ illa S. Quillinij *ex Sammarthanorum tabulis*, ſibi tantùm noti. Undè contendit, illo Cathedram Forojulienſem tenente, uſque ad annum circiter CCCCX. circa quem ab Africanis Patribus & Leporio literas accepiſſe putat, non potuiſſe antea Honora-

tum ad Inſulam accedere, quem viciniâ Leontij jam Epiſcopi allectum, illùc veniſſe, luculenter teſtatur S. Hilarius. Hoc, inquam, tenue & planè ficulneum mihi videtur argumentum; quantumuis enim probabilis ſit illa Quillinij in Forojulienſi Sede adminiſtratio, non adeo tamen conſtans & inconcuſſa remanet, ut Lirinenſis Cœnobij, de ejus antiquitate, aſſertæ Chronologiæ derogaret, ſi ea quæ ſuperius à nobis adducta ſunt, ſolidioribus rationum momentis confutarentur. Ad quod eruditos illos Inſulanos toto affectu provocamus, præſtitâ interim fide omninò è Catalogo noſtro Quillinium expunctum, aut in aliud tempus (ſi fieri poſſit) rejectum iri, ne ullum per nos eorum traditioni præjudicium fiat: atque in eo, *pro victoriâ computabimus* (ut de quodam litigatore alicubi prædicat Apollin. Sidonius) *ſi nos intellexerimus jure ſuperari.*

CAPUT IV.

Vita S. Hilarij Arelatenſis, S. Honoratus Maſſilienſis verùs eſt auctor. Baſilij Aquenſis, aliorumque ante & poſt ipſum Chronologia obiter caſtigata & emaculata.

CUM ex occaſione S. Hilarij Arelatenſis, ejus vitæ acta quæ ſuperſunt S. Honorato Maſſilienſi ſæpius adjudicaverim, ſitque contraria Saxij in *Arelatenſi Pontificio*, aliorumque quos ſequitur Ph. Labbeus *in ſua de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ad Bellarminum diſſertatione philologicâ*, ſententia; hûc etiam attinere, ut judicij mei rationem proferam, exiſtimo. Ac primùm autumat Saxius auctorem vitæ S. Hilarij fuiſſe Ravennium, illius immediatum ſucceſſorem: at certum eſt ex iis quæ in præcedenti Capite adduximus, Hilarium obiiſſe *an.* CCCCXLIX. menſe Maïo, eodemque anno Ravennium illi ſubſtitutum fuiſſe. Inconcuſ-

ſum eſt rursùs eundem Ravennium dies ſuos ultra annum decurrentis illius ſæculi ſexageſimum non produxiſſe, nam anno inſequenti Leontium illi ſucceſſiſſe demonſtravimus, ex gratulatoriâ ab ipſo Leontio ad Hilarum Romanum Pontificem inauguratum directâ. Quò fit ut Ravennij Pontificatûs tempus non fuerit ad ſummum pluſquam annorum undecim.

Hoc poſito habemus irrefragabilitèr Auctorem ſermonis de Laude Beati Hilarij, alium prorſus eſſe ab iſto Ravenio ejus ſucceſſore: illud enim dilucidè indicant, verba quædam, ex eodem ſermone petita, quibus ſub finem auctor ita in Hilarij Laudes effertur: *O magna, præcelſa, & ſingularis caterva gratiarum, quàm veneranda recordatione obtutibus præſentaris, & beneficiis ſentiris, profectibus noſtris adhuc militare cognoſceris: tot annorum ſpatiis revolutis, in tuorum filiorum renaſci non ceſſas honoribus*: & paulò poſt: *ecce laudis pretioſum titulum, poſt emeritæ ſanctitatis exceſſum.* Hactenus auctor, apud Surium & Vin. Barralem *in Chronol. Lirinenſ.* Ex iis autem ſic ratiocinari licet. Si Ravennius Hilarij ſucceſſor decem circiter poſt annos ab ejus obitu, diem ipſemet clauſit, certo certius in oratione in laudem Hilarij elucubrata, dixiſſe non potuit: *Tot annorum ſpatiis evolutis, in tuorum filiorum renaſci non ceſſas honoribus;* decem ſiquidem annorum curriculum, *tot annorum ſpatium* evolutum nec dicitur nec dici poteſt. Huicque tam apertus eſt auctoris ſenſus, ut aliò deflecti non poſſit; namque probare contendit, tanquam continuum Hilarij ſanctimoniæ miraculum, memoriam ejus penes Arelatenſes poſt multa tempora perennaſſe. Jejunum itaque & obſoletum prorſus fuiſſet illud dicendi argumentum ſuorum ſtudium & affectum, poſt decem circiter annos ab ejus obitu tantâ verborum pompâ celebrare: damus enim in hac hypotheſi Ravennium operi illi in ultimo adminiſtrationis ſuæ anno incubuiſſe: ſed ut patet, ejus auctor eſſe non potuit. Scripſerit autem ille deceſſoris ſui vitam, ut tradit

dit Saxius, non abnuimus, at fœtum illius, aut extinctum, aut cum blattis adhuc pugnantem, Honorati autem manſiſſe ſuperſtitem, ex adductis nullus negaverit.

Quod enim iſtius Honorati ſit, quæ legitur hiſtoria, Gennadij probat auctoritas, qui in ſuo virorum illuſtrium *Catalogo cap.* XCIX. Honoratum Maſſilienſem ſcripſiſſe ſanctorum Patrum vitas, ac præcipuè *meritoris ſui, Sancti Hilarij* Arelatenſis Epiſcopi, diſertè teſtatur. Sed nunquid, inquies, ille Hilarij σύγχρονος fuit, uti Ravennius, adeoque & illi tam parum convenire poſſunt verba illa? *Tot annorum ſpatiis evolutis, in tuorum filiorum renaſci non ceſſas honoribus*. Poſſunt omnino: nam cum liqueat Honoratum jam Pontificem hæc vel ſcripſiſſe, vel ex ambone declamaſſe, ut ex illa ejus peroratione colligitur: *præſumpſi, ut in illo præclaro virtutum ſuarum faſtigio conſtitutus etiam pro me interpellare non ceſſet, illiſque venerabilibus Patriarcharum cœtibus aſciſcat .... & ſuis patrociniis meritum Sacerdotis in illa examinatione tremendâ faciat inveniri*, Quæ non niſi de Præſule poſſunt intelligi, Ex omni parte conſentiunt verba illa: *Tot annorum ſpatiis evolutis, &c.* Honoratus namque Sedem Maſſilienſem non eſt adeptus ante *an.* CCCCXC. quo, ab Hilarij Arelatenſis obitu, cum intercidiſſent anni quadraginta, potuit hoc tempus, ſatis congruenter, *tot annorum ſpatium* evolutum dici.

Sed hîc multum mirari ſubit, quomodo viri verſatiſſimi Sammarthani FF. aſſeverare potuerint in ſua *Gallia Chriſtianâ, in Aquenſibus Præſulibus*, Baſilium Aquenſem exequiis S. Honorati Arelatenſis interfuiſſe, quod ex dicendis falſiſſimum apparebit, & egregiè ante me demonſtravit V. Cl. D. Johannes Pitton *in ejuſdem Eccleſiæ Annalibus*. Quanquam & illum memoriâ itidem lapſum fuiſſe oporteat, dum ait extremum illud Chriſtianæ pietatis officium Honorato Maſſilienſi ab ipſomet Baſilio exhibitum eſſe; quod tam parum admitti poteſt. Namque ſeu ipſe Honoratus Maſſilienſis, ſeu quilibet alius vitæ S. Hilarij

Arelatenſis auctor extiterit, certum eſt hiſtoriam illam opus eſſe ſcriptoris coætanei ſincerè geſta ejus referentis : at ille ipſe, Baſilium, S. Hilarij Arelatenſis funebrem apparatum vidiſſe, ejuſque magnam partem fuiſſe explicatiſſimè tradit. Etenim ex quo fidelis populi luctum & convenientium undique turbarum, ad exequias illas devotionem pluribus expoſuit, hæc ſubjungit : *Hic iterum nova dilectio gravior in fletu corda ſuccendit, dum ſinguli cupiunt fimbriam* (S. Hilarij utique mox defuncti) *decerpere. S. Baſilij tunc Preſbyteri, nunc Pontificis ſummi invenit induſtria, ut maximam partem coopertorij, utraque manu diſcerptam, quâ corpus ejus tegebatur, arriperet, & longiùs recedens dividendo populis erogaret : dùm partiendi ſtudio lætificat eos, tanto munere paulatim retrahuntur à ſepulchro, & ſic corpus illud venerabile atque decorum, ne iterum devotis redderetur obſequiis, clam eſt depoſitum in ſepulchrum.* Hæc rei oculatus teſtis, ſeu Honoratus Maſſilienſis, ſeu quis alius; è quo ultro exploratum eſt, Baſilium Aquenſem non S. Honorati Arelatenſis, non Maſſilienſis, ſed S. Hilarij itidem Arelatenſis funus ſuâ præſentiâ cohoneſtaſſe.

Compertum eſt inſuper Baſilium ex Arelatenſi Clero, in quo laudatiſſimi Presbyteri partes explebat, ad Aquenſis Eccleſiæ regimen aſſumptum fuiſſe, licet de tempore non omnino conſtet. Attamen illud ſaltem certum eſt, nonniſi poſt annum CCCCXLIX. quo obiit Hilarius, Baſilium ad ſummum Sacerdotium evocatum eſſe : erat enim adhuc in ſecundis ſubſelliis, ut prænotatum eſt, inter ſolennia funeris ipſiuſmet S. Hilarij; & Epiſcopatum adhuc gerebat poſt annum memorati ſæculi nonageſimum, quo Honoratus Cathedram Maſſilienſem adeptus, eum tunc *Pontificem ſummum* indigitat.

At nunquid Baſilio deceſſerat Victurus, ad quem nec non ad Leontium & Veranum extat Hilari Papæ Epiſtola *an.* LXV. in causâ Ingenui Ebredunenſis Epiſcopi ? Id certè paſſim tra-

dunt Hiſtorici noſtri, at ex nullius fide. Sanè, ut benè memini, vir emunctæ naris D. P. de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus in ſua *Diſſertatione ad Concilium Claromontan.* ex ejuſdem Epiſtolæ præcitatæ tenore non Victurum, ſed Auxanium Aquenſi Eccleſiæ tùm præfuiſſe putat, quod haudquaquam leviter rejici debet. Itaque Baſilij deceſſor valdè incertus videtur, & ſucceſſores ejus prorſus ignorantur. Fictitij quippe ſunt qui à Bucheo in *Catalogo ſuo*, *Chorograp. Provinciæ lib.* IV. *cap.* II. exhibentur: nam Amandus *an.* LXXXVIII. præpoſitus, ex firmatâ ſuperiùs Baſilij Chronologiâ expungendus venit: Macarius autem ex auctoritate ſpurij inſtrumenti Capituli Piniacenſis noſtri, *Pignans*, duntaxat obtruditur, imo & contra chartæ ejus tenorem, quæ Macarij ſedem non exprimit, Aquenſis immeritò repræſentatur. Non negamus tamen poſt Baſilium (qui ex jam dictis, non potuit ad annum ſubſequentis V. ſæculi vigeſimum pervenire) ſediſſe aliquem Præſulem intermedium ante Maximum, cujus extat notitia *an.* DXXIV. ſed ejus nomen ignotum fateri, quàm, aliorum more divinare ſatiùs ducimus.

CAPUT V.

De Lirinenſium Inſtituto, & S. Honorati ante Cœnobij fundationem peregrinatione.

QUODNAM fuerit Lirinenſium inſtitutum, ſeu ſub quâ antiquorum Patrum regula Monaſticen profeſſi ſint beatiſſimi illi viri, qui congregationi illi primum adſciti ſunt, difficillimum hactenus aſſequi, quando nullus ſcriptor coætaneus, aut ſubpar de eâ quidquam poſteritati commendavit; & qui ab eo tempore longiùs degentes hâc de re ſententiam ſuam aperuerunt, aut ita decepti, aut quod probabilius puto, ita alios decipere voluerunt, ut eorum opiniones adduxiſſe, confutaſſe ſit.

QUIS enim V. G. Trithemium audire ſuſtinebit in ſuo virorum illuſtrium Benedictini Ordinis, cujus erat, *Catalogo cap.* CCLXXIX. aſſeverantem Capraſium ſub eo ſtemmate, adeoque & omnes Lirinenſes militaſſe, cum certum ſit Beatum ſenem inſtituti ejus Anteſignanum mortalitate exutum, antequam S. Benedictus & Monaſticum habitum & ipſam mortalitatem induiſſet.

SED nec admittendus Aloyſius Torrellus aliique Familiæ Auguſtinianæ auctores licet laudatiſſimi, qui gloriam Patris, atque inſtituti, plures ei filios & alumnos aggregare, eſſe putantes; nedùm Lirinenſes, ſed omnes Galliarum Monachos, inter Auguſtinianos ſodales accenſere contendunt. Hos enim revincit nobilis ejuſdem Ordinis ſcriptor Henricus de Noris in *ſuâ Pelag. Hiſt.* adeo ut nil ejus argumentis, quæ tam ratio temporum, quàm auctoritas mirificè roborant, addendum cenſeam. Quanquam & in altero doctiſſimi viri ſententiæ vix ſubſcribendum putarem, dùm S. Honoratum Orien-

talium regulam ſecutum eſſe, ex eo præcipuè contendit, quòd Italiæ tantùm Monaſteria luſtraverit, ex his Hilarij verbis rem colligens: *Hujus Italia benedici gaudet introitu, hunc Thuſcia veneratur, amplectitur, & blandiſſimas per Sacerdotes ſuos moras nectit.* Quæ tamen de Honorato tùm regrediente & ex ſuſceptâ peregrinatione ad patriam repedante dixit Hilarius. Unde cum extra Italiam & in ipſam Peleponeſum fortèque in remotiores etiam regiones annavigaverit; quid vetat eum Monaſteria in illis partibus poſita inviſiſſe, quorum ergo, peregrinationem ſuam auſpicatus fuerat? Honoratum autem in longinquiori itinere verſatum eſſe, & in ipſas Ægypti ſolitudines penetraſſe, adducebant me penè credere, quæ paulò ante dixerat Hilarius de ejus cum Capraſio peregrinatione: *Expetunt litora*, inquit, *quibus barbara eſſet etiam illa, quæ plurima in ipſis erat Romana Eloquentia.* Certè neque in Achaïâ, neque in Peleponeſo, neque in totâ Græciâ, barbara eſſe potuerat eo temporis Romana eloquentia, præcitatiſque verbis innuere ſatis apertè mihi videbatur Hilarius, his etiam remotiora litora peregrinos illos expetiiſſe, tàm linguæ, quàm Romanorum jugi prorſus expertia. Quis enim adeo hoſpes eſt in Hiſtoriâ, qui, Romanis rerum potientibus curarum primam fuiſſe, latini ſermonis, in edomitis regionibus, uſum cum Principatu ſtabiliiſſe, neſciat? pro quo diſertus eſt teſtis Val. Maximus (qui Tiberij Auguſti temporibus ſcripſit,) *lib.* II. *cap.* II. *de inſtitutis*, ſed & Plutarchus illo poſterior, ævo ſuo linguæ Latinæ elocutionem in omnibus ferè Orbis partibus invaluiſſe luculenter tradit *in ſuis quæſtionibus Platonicis.* Quam in rem ſcitè etiam S. Auguſtinus *lib.* XIX. *cap.* VII. *de Civitate Dei. At enim opera data eſt, ut imperioſa civitas non ſolum jugum, verùm etiam linguam ſuam, domitis gentibus, per pacem ſocietatis imponeret, &c.* Nuſquam igitur barbarum erat Romanum eloquium, niſi quò Reſpub. non propagaverat dominatum. At in Græciâ, multò

minùs quàm in aliis Regionibus eidem ſubditis, peregrinum fuiſſe ſuſpicari fas eſt, quòd illa linguarum & diſciplinarum altrix & Magiſtra ſemper habita fuerit. Igitur cum Hilarius, parentem ſuum in Chriſto, litora expetiiſſe, *in quibus barbara eſſet Romana eloquentia*, tradidit, nedum Græciæ, ſed & Europæ fines prætergreſſum eſſe, ſignificaſſe videbatur. Quæ interpretatio probabilior inde exiſtimata abs me fuerat, quòd eò conveniant Eccleſiarum Arelatenſis, Reïenſis, noſtræque Legendaria expreſsè utique tradentia S. Honoratum, Patrum viſendorum gratiâ, in Ægyptum ſe contuliſſe. Movebant etiam vitæ acta S. Capraſij apud Lirinenſem Chronologum, quæ emenſis *terræ mariſque immenſis ſpatiis*, S. Senem cum Honorato in Provinciam regreſſum eſſe produnt.

Hæc, inquam, aliaque, Honorati in Ægypti ſolitudines diſceſſum mihi perſuaſerant, ſed cur ab hâc ſententiâ penè recederem fecerat præcipuè, ſummi viri non minùs eruditione, quàm pietate præſtantiſſimi Joannis Baptiſtæ Roberti Eccleſiæ Dracenenſis Decani auctoritas, qui præmemorata S. Hilarij verba, de eâ litorum expetitione *quibus barbara eſſet Romana eloquentia*, intelligenda eſſe, quaſi hyperbolicè & oratorio ſtylo, quo pollebat Hilarius, conſcripta & pronunciata, interdum conjectabat, ex his præſertim, quæ S. Hilarius, de ſubito Honorati regreſſu poſt obitum fratris ſui in Achaïâ, reponit. Quod quidem neceſſarij colendiſſimi judicium, quàm grave & veridicum, in eo, ſicuti & in aliis omnibus, fuerit, oſtendit mihi tandem Præfatio Caſſiani *ad* XI. *Collationem*, in quâ ita Honoratum & Eucherium, ad quos conſequentes Collationes diriguntur, affatur Scriptor ille: *Vos ô Sancti fratres Honorate & Eucheri, tantâ illorum ſublimium virorum, à quibus prima Anachoreſeos inſtituta ſuſcepimus, laude flammamini, ut unus quidem veſtrum ingenti fratrum Cœnobio præſidens, Congregationem ſuam quæ quotidiano ſanctæ converſationis veſtræ docetur intuitu, illorum quoque*

Patrum præceptis optet inſtitui : alter verò ut etiam corporali eorundem lætificaretur aſpectu, Ægyptum penetrare voluerit, ut hanc quaſi frigoris Gallicani rigore torpentem Provinciam, ad illas quas Sol juſtitiæ proximiùs reſpicit terras, maturis virtutum fructibus redundantes, velut turtur caſtiſſimus tranſvolaret, &c. Hactenus Caſſianus; ex cujus orationis contextu in aperto eſt, eum de quo poſteriori loco præfatur, eſſe Eucherium, qui tali luſtrandæ Ægypti ſtudio flagraſſe dicitur. At ſi Honoratus, quem priùs allocutus eſt, tanquam *ingenti fratrum Cœnobio præſidentem*, ſi ille, inquam, Ægyptum peragreſſet, haudquaquam id memorare prætermiſiſſet Caſſianus, unde ut pote major commendatio & copioſius ad Honorati laudes argumentum deſumi poterant Imo ſi Honoratus hanc Regionem inviſiſſet,non poſtulaſſet à Caſſiano de his informari,quæ in ea obſervabantur circa Anachoreticam diſciplinam; Collatorque Lirinenſem Fundatorem ad ſemetipſum, ejus rei ergo, remittere poterat, & haud dubiè remiſiſſet.

Sed hæc de Honorati peregrinatione hucuſque diſcuſſa, nequaquam iis prejudicare videri debent, quæ ſuperiori *cap.* III. repoſuimus,autumantes aliquot annos ad eam inſumptos fuiſſe, debuit enim diutiùs in his partibus commorari S. Abbas. Nedum enim creditu difficile, ſed planè impoſſibile, qui rem otioſiùs expendet, arbitrabitur, eundem adhuc adoleſcentem & annorum ad ſummum XXVII. è patriâ ſuâ, quæ erat ipſa Provincia Narbonenſis antiqua, vel Burgundia, in Peloponeſum velificaſſe, fratreque Venantio ibidem mox decedente, confeſtim pedem in Gallias retuliſſe Monaſterio præficiendum. Hæc, inquam, non cohærere, ſed corruere prorſus videntur, niſi quis dixerit ipſum, temporum ſpatia quæ ad maturitatem deerant, vel in Italiâ, ubi blandiſſimas moras nexuiſſe refert S. Hilarius, vel apud Forum-Julij, aut in deſerto *Caporoſſe* ſuburbano, tranſegiſſe; quanquam & illa, citra explicatius teſtimonium, aſſeverare non præſumerem.

CAPUT VI.

Singularis Lirinenſium Regula genuinis quibuſdam characteribus adumbrata.

SPECIALIS illa Lirinenſium Regula ignota hactenus, quæ fortè in Bibliothecarum angulis cum pulvere & blattis depugnat, ab Orientalium inſtitutis diverſa non exiſtimatur, ab eodem ſæpiùs laudato laudandoque P. H. de Noris. Nos in re plurimùm incertâ, certum ex omni parte aſſequi non pollicemur, qui ad fontes ſaltem manus intendere in magnam acceſſionem computaremus; ſed hîc tanſummodo conjecturas noſtras præmittimus. Igitur quantùm ex Lirineuſium monimentis aliquid aſſequi fas fuit; viſa eſt eorum inſtitutio, quæ utique Cœnobialis potiſſimùm fuiſſe putatur, in multis quâdam Anachoreſeos obſervantiâ, quaſi ſublimioris perfectionis ſale condîta; adeo ut admirabili animi prudentiâ Fundatoris, eremiticæ cœnobialis Regula copulata, illiuſque âſperitas tantundem alterius ſuavitate temperata fuiſſet.

SED ne quibuſdam noſtra videatur opinio ſingularis, præſtat hîc paucis ejus argumenta perſtringere, quorum hæc præcipua cenſemus. I. Quòd S. Eucherius *Epiſtol. ad Hilarium* de ejus in inſulam reditû (in quâ totus omnino eſt in eremi deſertique, nec non veterum Anachoritarum laudibus) diviſis cellulis Lirinenſes habitaſſe teſtetur: *hæc nunc*, inquit, *habet ſanctos ſenes illos, qui diviſis cellulis Ægyptios patres Galliis noſtris intulere*. Hieronymus è contra Orientalium ſeu Ægyptiorum Monachorum vivendi rationem deſcribens *Epiſt.* XXII. *ad Euſtochium* hæc habet: *manent ſeparati, ſed junctis cellulis*: in quo obſervare erit diſcrimen omne ab Eucherio inter Lirinenſes

&

& Ægyptios animadverſum, in eo verſari, quòd ſcilicet priores *diviſis cellulis* vitam degant, quas alij ex Hieronymo *conjunctas* habent. Inſinuat igitur Eucherius his verbis, nedum Honorati ſui diſcipulos ad Ægyptiorum imitationem perveniſſe, ſed hoc inſuper adjeciſſe ut ſeparatis domiciliis eremum incolerent.

II. Has ſeparatim diſpoſitas cellulas deſignare videtur auctor vitæ S. Virgilij, ante Arelatenſes infulas, Abbatis Lirinenſis, quæ extat apud Barralem 1. *p. Chronologiæ Lirinenſis*, notat ſiquidem ei familiare fuiſſe ſuper gregem excubanti, noctu eorum tuguria ad litus maris luſtrare: *Deflet*, inquit, *inimicus quod perdidit, dum ſingulis noctibus paſtor egregius, ne aliquid adverſi contingeret, ovile Dominicum ciruuiret ad litus æquoris*; id enim importat verbum circumeo, hîc adhibitum. Hinc Sidonius *lib.* IX. *Epiſt.* III. *ad Fauſtum*, Lirinenſium *cellulanorum Senatum* commemorat, quæ eòdem redeunt, hancque cellularum diviſionem ſubindicant.

III. Huc etiam ſpectat quod ab antiquis Scriptoribus, Lirinus eremi denominatione diſtincta fuerit. Eucherius namque jam laudatus Epiſtolam ſuam ad Hilarium *de eremi laudibus* inſcripſit. Idemque *lib.* I. *inſtructionum ad Salonium* ſuum, inter alia laudat: quòd vix dùm *decem annos natus eremum ingreſſus inter illas ſanctorum manus, non ſolùm imbutus ſed enutritus ſub Honorato fuerit.* Fauſtus quoque *in Panegyr. S. Maximi: ambiebat illum proxima eremo Civitas, quæ inter locum & inſulam ut noſtis, interjacet.* Tum ipſe Apollin. Sidonius jam laudatus in memorata *Epiſt. ad Fauſtum*, cum ita affatur: *precum peritus inſulanarum, quas de palæſtra congregationis eremitidis in urbem quoque transtuliſti*: Et alibi in *Euchariſtico* ad eundem, eremiticum Lirinenſium inſtitutum propriùs deſignare videtur, tùm in eorum auſteritatis delineatione, cùm in exquiſitâ tot Patrum Ægyptiorum recenſione; qui Anachoreſim majori laude ſectati ſunt quales ſanè fuere Elias, Joannes, Or, Ammon, ſpectabiliſque ille Paphnutius

Cc

tam ſtudioſus vitæ Anachoreticæ cultor, ut teſte Caſſiano *Collat.* XVIII. *cap.* XV. eidem, *cæteri Anachoretæ Bubali* (hoc eſt bovis ſylveſtris) cognomen indiderint, eò quòd *ingenito deſiderio, ſolitudinis ſemper habitatione gauderet.* Sidonius itaque tot inſignes Anachoretas (quorum veſtigiis inhærebat Fauſtus, & noſtri Lirinenſes,) concelebrans, non obſcurè ſignificat hanc vivendi rationem Lirini ut plurimum viguiſſe: & illa eremi toties repetita denominatio idipſum arguit. Cæterùm Eremitæ & Cœnobitæ aperta differentia eſt: *finis enim Cœnobitæ eſt omnes ſuas crucifigere & mortificare voluntates: Eremitæ verò perfectio eſt, exutam mentem à cunctis habere terrenis*, ait Joannes Abbas, apud Caſſian. *Collat.* XIX. in quâ prolixis ſuccique plenis ratiocinationibus utriuſque vitæ conditiones perſequitur, in quibus non moror. Neque enim ego eremiticam diſciplinam Lirini ex omni parte viguiſſe, ſed hâc ipsâ Anachoreſi illorum regulam plurimum reſperſam fuiſſe contendo præcipuè, ex illa jam memorata cellularum ſeparatione. Siquidem ſi diviſis cellulis Inſulam colebant, diviſim etiam victitaſſe conſequens fuit. Quomodo enim domiciliis ſegregati homines, tàm facile, quàm regularis obſervantia depoſcebat, cotidie è poſitis circum oram cellulis inter ſe diſſitis ad commune cœnaculum conveniſſent? Quorſum ſtatis horis ad preces, aliaque Cœnobiticæ vitæ diurna munia? Hæc quidem aliquando conjunctim obire conſueviſſe non negaverim, ſed hîc, quod ordinariè ſervabatur, inquirimus.

IV. Hæc, de Lirinenſium victû ſeparatim ſumpto, obſervatio noſtra, manifeſtior fiet ex vitæ actis S. Cæſarij à Cypriano Tolonenſi magni nominis Præſule conſcriptis: in his ſiquidem juvenis admodum notatur Cellarij officio functus eſſe, in quo ſodalium, alimenta ultra canonem appetentium odia expertus, ab eo ceſſare coactus fuit. *Poſt breve tempus in Congregationis Cellarium eligitur, cœpit igitur illis velle largiri quibus eſ-*

ſet neceſſarium, etiam ſi abſtinentiæ amore nihil peterent: quibus verò cognoverat neceſſarium non eſſe, nihil dabat, quamvis vellent accipere. At quis non videat hæc in communi Cœnaculo præſtari non potuiſſe, ubi in quoſque accumbentium rata pars dividebatur, tantumdemque qui abſtinentiæ, quàm qui gaſtrimargiæ animo ferebatur, acciperet? Quiſquis igitur in cellula ſua, quam à ſodale diviſam occupabat, cibum ſumere conſueverat; quî enim aliter fieri potuiſſet? quîve aliàs fratrum in ſe animum cellararius exacerbaſſet? Sed & ipſemet B. Cæſarius noviſſimè Monaſticen profeſſus, *immodicâ afflictione imbecille adoleſcentia corpus frangere ſollicitus, exigui oleris ſeu pulticulæ coctione, quam Dominicâ die parabat uſque in aliam Dominicam*, contentus fuiſſe, laudatur apud eundem Cyprianum. Quorſùm autèm hanc in communi triclinio, vitæ aſperitatem ſervare fas fuiſſet? erat ergo victus & alimoniæ ſuæ penes ſe arbiter Cæſarius, quantumvis juvenis: erant & Lirinenſes reliqui, in quo Anachoreticæ vitæ ſublimitatem propiùs attingebant. Nam & Cœnobitæ in menſa adunati victitabant, teſte Hieronymo, *loco cit. Poſt preces*, inquit, *unaquæque decuria, cum ſuo parente, pergit ad menſam, nemo comedens loquitur, &c.* Sacra quippe lectione cœna condiebatur ex laudabili Cappadocum Monachorum, ſeu parentis eorum Baſilij in omnes derivatâ conſuetudine, ut teſtatur Caſſianus *lib.* IV. *de inſtitut. renunciant. cap.* XVII.

CAPUT VII.

Lirinenſium inſtitutio ex aliis monumentis inveſtigata. & illuſtrata.

QUOD ſuperiori capiti finem impoſuit Caſſiani teſtimonium, revocat mihi in memoriam laudatum Archimandritam monaſtici inſtituti ſcientiſſimum, quemque adeo, quæ in Provincia (cujus erat & in quâ degebat) regulæ vigebant, fugere non poterat, Anachoreticæ profeſſionis quædam veſtigia in Lirinenſibus advertiſſe: nam in Præfatione XI. Collationis *ad Honoratum & Eucherium*, hos ita affatur: *vos tanta illorum ſublimitate virorum à quibus prima Anachoreſeos inſtituta ſuſcepimus laude flammamini, ut unus quidem veſtrum ingenti fratrum Cœnobio præſidens* (Honoratus ſcilicet) *Congregationem ſuam, quæ quotidiano ſanctæ converſationis veſtræ docetur intuitû, illorum quoque Patrum præceptis optet inſtitui.* Haud dubiè hoc opus deprecabatnr Lirinenſis moderator, ut ſtupenda illa tot tantorumque Anachoretarum exempla in ſuis incentiva ſuſcitarent, quæ eos, in quiqus hanc vitæ rationem ſectabantur, ad accuratam fervidamque imitationem impellerent. Sed neque venerandis illis ſacratioris militiæ Monaſticæ coryphæis deſtituta tunc erat ipſa Provicia, qui piam Lirinenſium æmulationem ſtimulare eò magis poterant, quòd in proſpectu adeſſent, eodem Caſſiano adſtipulatore, qui in ſuo ad ſeptem poſteriores Collationes proëmio *ad Jovinianum, Minervium, Leontium & Theodorum* Inſularum Stœchadum inquilinos, exquiſitis eos extollit præconiis: *quòd non ſolùm Cœnobialem profeſſionem apprimè Monachos expetere, verùm etiam Anachoreticam ſitire ſublimitatem ſuis inſtitutionibus provocaſſent.* Cur igitur ad pios illos auſus provocari non

potuiſſent Aſcetæ Lirinenſes ab Archimandritis Stœchadum ; qui has ſanè regiones priùs incoluiſſe videntur. Theodorus enim noſter (ut pluribus ſupra) *Cœnobiorum ſanctam, atque egregiam diſciplinam in Provinciis Gallicanis antiquarum virtutum diſtrictione fundaſſe* : cæteri non ſolùm *occiduas regiones, verùm etiam inſulas maximis fratrum catervis florere feciſſe laudantur* apud eundem Caſſianum *loco mox citat.* Digni planè religioſiſſimi Inſulani noſtri ad omne arduum pietatis opus expediti, quibus illi eremiticæ inſtitutionis anteſignani (quod de Maximo Reïenſi, ab Honorato Abbate deſignato, prædicavit Fauſtus) *quaſi Helias ad ſuperna migraturus, Heliſeo diſcipulo, ſic iſti pallium pietatis & gratiæ, ac præclara meritorum indumenta* quodam viciniæ jure, noſtrs traderent *& in ſe augenda & in illis duplicanda.*

Quæ ſanè fauſtiſſimus rei eventus comprobavit, cùm ſæculis decurrentibus omnis Aſceticæ diſciplinæ puritas, gloriaque, tantâ exuberantiâ in Lirinenſes transfuſæ fuerint, ut vicinæ iſtius congregationis, aliarumque etiam laudibus omnimodis celebrandarum, aut nomen obliteraverint, aut certè ſuo, ſplendorem infuſcaverint. Hæc fuit noſtrorum ſors felicior, hæc Cœnobiarchæ Honorati merces magna nimis, quâ Remunerator ſupremus, etiam in terris, Parentem in filiis perennitèr beare voluit : hæc tandem ſumma fuit diſcretionis virtus, quâ ſuperno afflante ſpiritu regulam ſuis concinnavit tantâ laude ab Arelatenſis Concilij Patribus, maximâque profitentium utilitatè æquè comprobatam. Eam autem in facie quidem Cœnobialem, in pluribus Anachoretico exercitio nobilitatam, eò libentiùs præfatæ auctoritates ſentire ſuadent, quòd ambas illas profeſſiones multa ſibi invicem præſtare, apud omnes ſit in confeſſo : nam & Cœnobitæ Anachoretas & Anachoretæ viciſſim Cœnobitas generant. Unde potuerunt invicem ab Honorato *Apoſtolici Spiritus* (ut ait Eucherius) *vigore radiante*, felici conjugio invicem copulari & ita inter ſe

attemperari, quò utriuſque (quoad ejus fieri potuit) fructus & merita ſui perciperent, nec tamen utriuſque pericula, vel aculeos experirentur. Et quidem cui hanc cæleſtem commixtionem conflaſſe contigerit, illi jure Poetæ trita ſententia adſcribi poteſt.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Atque illud retuliſſe, & in Gallias aut primus, aut inter primos vigere procuraſſe videtur Honoratus noſter. Cujus tamen vitæ generis quædam veſtigia conſpicua tunc erant apud Orientales ex Palladio *cap.* LXIV. in Ammonio, aliiſque, ne quid uſquequaque novum nos imaginari aliquis putet. Cùm hæc etiam inſtitutio omnium laudatiſſima ſectatores in Occidente præſtantiſſimos, ſummo religioſi ordinis, Eccleſiæque decore noſtris adhuc temporibus habere glorietur, in venerandis Sancti Brunonis Diſcipulis *Carthuſianis* vulgò nuncupatis, qui exquiſita illa vitæ Cœnobiticæ cum Eremitica conſociatione (quod nulli regularium Congregationum hactenus eveniſſe notatum fuit) ita primævam regulæ diſtrictionem, ita ſincerum Fundatoris ſpiritum imbibunt, retinentque, ut non modò Catholicorum omnium, ſed & eorum qui extra Eccleſiam ſunt, admirationem & reverentiam in ſe concitent, eâque quâ olìm Lirinenſes diſciplinæ, ſanctitatiſque laude, hâc in fæce temporum floreant & celebrentur.

Similius igitur veri eſt regulam illam Honorati planè mirabilem, cujus ope tot in cælum montes, tot in Pontificium ordinem, tot in religioſæ inſtitutionis propagationem ſubvecti ſodales, diutiùs apud Lirinenſes invaluiſſe. Quatenus enim ſubſtitit Monaſterium, ſacratiſque domiciliis, fidei & religionis perduelles pepercerunt, eatenus prioris viguiſſe diſciplinæ integritatem nemo diffitebitur. Eſto enim Maximus Abbas (quod teſtatur *ſcriptor vitæ S. Eugendi Jurenſis Abba-*

tú cap. XV.) Agaunenſium regulam expetierit; attamen illud ad commiſſi gregis ſpirituales profectus, eoque animo quo olim Honoratus Anachoretarum, aliorumque Patrum mores & inſtitutionem accipere peroptaverat, à Marino tantummodò factum eſſe, credibile eſt. Priorem ergo regulam & ipſe S. Marinus & qui ſubſecuti ſunt SS. Aygulfus & Porcarius, Cono, aliique inſignes Aſceterij rectores, ad ſe hæreditario quaſi jure tranſmiſſam, tanquam ſuaviſſimum parentis pignus, ſeu teſtamentarias tabulas, religiosè coluerunt, obſervarunt & complexi ſunt: è quo ſic confoto pietatis germine, tot plantæ feliciter ſuccreverunt; (non enim poteſt arbor bona malos fructus facere) ut cum omnes anguſta Lirinus complecti non valeret, in aliud etiam ſolum tranſlatæ ſint, unde mirificè Lirinenſium familia propagata fuit.

CAPUT VIII.

Lirinenſium propagatio, & ſterilitas in ampliſſimam rurſus fecunditatem regerminans.

QUOD appoſitè de Coloniis Romanorum A. Gellius, qui eas velut *Urbis Romanæ ſimulacra* commendavit *lib.* XVI. *cap.* XIII. quòd ejus ſplendorem & cætera decora referrent, hoc ipſum de Lirinenſium domiciliis in variis Galliarum partibus conſtitutis dicere liceat: Siquidem in iis primi & antiquioris Aſceterij obſervantia ſic cuſtodiebatur, ſic eadem vitæ conſuetudo, vigebat ut utrobique Lirinum cernere eſſet. Et plures ſanè ejus inſtituti Cògregationes etiam primis exordij ipſius temporibus floruere; nam Calmeliacenſe Cœnobium in Arvenia ſub S. Eudonis venerandi Lirini Aſcetæ moderamine

coaluit, cùm adhuc S. Maximus inſulam regeret. Ut patet ex fragmento vitæ S. Eudonis *apud Barral. in Chronol. Lirin.*

Fuit & alterum in territorio Forojulienſi perantiquum & fortè poſt Lirinenſe primum, quod decurrentibus ſæculis ſub *Sancaprafiani* Monaſterij, à S. Capraſio, nomenclaturâ cognitum fuit. Fuere alia multa alibi recenſenda; neque enim, etſi de his non conſtaret, aliter putaremus interpretanda, quæ de S. Amando ſeptingentorum ſupra tria millia Monachorum univerſitatem moderante in ejus vitæ actis, apud eundem Barralem enarrantur, quàm de iiſdem ſodalibus qui in variis ipſiuſmet inſtituti domibus degentes Lirinenſem regulam ſequebantur & Abbati Lirinenſi tanquam generali Præfecto obtemperabant. Porrò & curſim monere haud parum juverit quædam Monaſteria à B. Hilario S. Honorti in Cathedra Arelatenſi ſucceſſore fundata eſſe, teſte Honorato Maſſil. in ejus vita qui expreſsè S. Præſulem *Monaſteria, inſtituiſſe* memorat; quæ à Lirinenſi inſtituto diverſa fuiſſe nullus crediderit.

At ne quid uſpiam Lirini gloriæ & beatæ ſodalitatis propagationi deeſſe poſſet, adductæ ſunt Virgines poſt eam, quæ meliora illa chariſmata æmulantes, ſub venerando iſto religionis vexillo ſponſo Chriſto ſervitutem devoverunt.

Etenim (ut egregiè Theodoretus *in ſua Patrum relig. Hiſtor. Secti.* X X X.) *ex quo Chriſtus Dominus honoravit virginitatem, ut qui natus eſt ex Virgine, prata virginitatis, & hos ſuave olentes & qui non marceſcunt flores offert Creatori: non virtutem in maſculo & fœmina diſcernens, nec in duas differentias dividens philoſophiam.* Hanc itaque cœleſtem philoſophiam audire geſtierunt SS. Virgines, hæc ſacra theoremata imbibere feſtinavit ſexus fragilior, ut in infirmitate virtus perficeretur & in debiliori naturâ magis ac magis potentiæ Domini miracula coruſcarent. Conſurgit itaque nova militia, prodeunt caſtiſſimæ turtures immortali compari æterno vinculo conſociandæ. Et reliquis

liquis quidem præiviſſe Forojulienſes noſtras, cùm earum ſancta ſub admirandis Præſulibus inſtitutio, tùm ipſa viciniæ nunquam ſatis expetenda opportunitas ultro ſuadent. Atque illæ (quod de Bononienſibus dixit S. Ambroſ. *lib.* I. *de Virginib.*) *ſecundo pudoris agmine mundanis ſe deliciis abdicantes, ſacrarium virginitatis incolere, ſine contubernali ſexu, contubernali pudore provectæ* (ad numeroſum cœtum) *&* *centenarium fructum relicto parentum hoſpitio, tendere in tabernaculis Chriſti indefeſſæ milites caſtitatis non deſiſtunt.*

INTER eas autem, nobiliſſimam conterraneam noſtram re & nomine merito Maximam (quæ virginitatis gloria inſignis ex tabulis Eccleſiaſticis XVII. *Kal. Junij Fori-Julij* diem obiit) inſtitutionem accepiſſe, quam poſtea in Diœceſi noſtra mirificè provexit, interdum ſuſpicor; tùm quia Sacrum ejus corpus in vico Calidiano, (cujus Sacerdotium ad Lirinenſes pertinet) tùm ob memoratum viciniæ commodum, quæ B. Virginem ſanctam profeſſionem, in qua obiit, alibi ſuſcepiſſe vix ferebat. Siquidem & in Forojulienſi tractu conſtituta erant Lirinenſium Virginum domicilia, in contermino ſcilicet monte qui Aralucus, noſtris vernaculè *Arluc* dicitur. Iſque mons qui olim Veneri dicatus gentilitiis ſpurcitiis celebritatem obtinuerat, melioribus auſpiciis Deo vero, ſub S. Proto-Martyris Stephani invocatione tùm primùm adſcriptus. SS. Virginum undequaque convenientium Sacratiſſimis choris frequentatus fuit, ut eadem regio quæ per infandas obſcœnitates polluta fuerat, continentiæ, puritatis, cæterarumque virtutum, omnium cultu celebrandarum, mira fragrantia in perpetuum conſecraretur. Ibi enim non ſecus ac Lirini antiqua Patrum diſciplina ſummâ laude floruit, ab S. Nazarij Inſtitutoris & Abbatis Lirinenſis (forte poſt Fauſtum) temporibus, uſque ad initia VII. circiter ſæculi: nam paulò poſt B. Aygulphus ex Floria-

cenſi Cœnobio ad Lirinenſem præfecturam evocatus utriuſque ſodalitij reformationem etiam vitæ pretioſiſſimæ diſpendio ſuſcepiſſe legitur, ut fuſius habent ejuſdem paſſionis acta, quæ mihi in permultis interpolata videntur. Sed utcunque ſit, viguit poſthac Lirinenſium antiqua fama per integrum ſæculum, quouſque videlicet Saraceni circa *an.* DCCXXX. Inſulam occuparunt & B. Porcarium Socioſque Martyrio affecerunt.

Ab inde ſanè ob temporum calamitates & Barbarorum eluvionem, magis quàm ob Scriptorum incuriam obſcura remanent Lirinenſium geſta: unde frigeſcente haud dubie primævo fervore, Benedictus VIII. Pont. Max. exeunte X. Sæculo tanti Cœnobij claritudinem exſuſcitare ſatagens, ejus moderamen S. Mayolo Cluniacenſi Archimandritæ concredidit, quatenus ſuorum omni virtutis decore præſtantium Monachorum aggregatione, in ſtrictioris diſciplinæ ſtudium velut ad aviti patrimonij recuperationem excitati ſuperſtites, antiquam Majorum ſuorum celebritatem, quaſi poſtliminij jure, redintegrarent. Sed neque ab expectatione abluſit eventus, nec diù morata eſt felicitas: namque B. Mayolo decedente, S. Odilo ſucceſſor in nullo impar, Lirinenſis Congregationis regimen aliquandiu per ſe ipſum obivit, tantoque Præſule tantùm domeſticorum religione & integritate, tantum exterorum munificentiâ & largitionibus Monaſterium accrevit, ut per tria conſequentia ſæcula vix unus dies interlaberetur, quem varia Præſulum, Principum, aliorumque cujuſvis conditionis hominum donaria memorabilem non præſtitiſſent. Cluniacenſis itaque regula ex tunc viguit, nec fortaſſis alia inter hanc & antiquam Lirinenſem media interceſſit.

Sed præſtaret haud dubiè Abbatum qui ab Honorato Inſtitutore ad hæc uſque tempora Inſulam rexerunt ſeriem iſtic pro coronide ſubjicere. At cùm propediem aliqua ſingularia

expectemus, quæ ad eam ampliandam illuſtradamque multùm conducent, mancum, quem præ manibus habemus catalogum, vulgatis tamen multò ampliorem haud emittere conſultum fuit, donec ex his aliiſque monimentis cohærentior ſuppleri poſſit; ubi & pleraque alia Lirinenſia tractanda venient. Unde & his modo finem imponere mens eſſet, niſi ejus celebris controverſiæ, quæ ex occaſione Fauſti Abbatis cum Theodoro noſtro exorta eſt, ſeriem exponere jam in anteceſſum pollicitus eſſem. Et quidem quænam fuiſſet primis illis temporibus Lirinenſium Diœceſis? Quem illi Epiſcopum colerent, à quo ordinationis munus obtinerent? indicatum potiùs, quàm comprobatum abs me fuit, ex Arelatenſis Synodi actis tum citatis. Cum igitur hæc omninò pro eâ causâ celebrata fuerit, præfatæque concertationis plures circunſtantias & exitum pandat; ſitque tandem ſpecialis in Eccleſiæ Forojulienſis jurium (quæ undequaque elucidare contendo) inſtaurationem, prolata ſententia, ex omni parte mei viſum eſt officij fuiſſe, ut hæc acta proferrem, notaſque aliquot, aut ab aliis prætermiſſas, aut illiberaliùs datas, fuſiori ſtylo connecterem, unde planior eorum omnium notitia habeatur. Itaque ad ea, quæ hactenus *de Initiis Eccleſiæ Forojulienſis* tractata ſunt, quaſi *Mantiſſæ* ſeu *Appendicis III.* loco, ad ultimum accedit——

CONCILIUM ARELATENSE SUB RAVENNIO EPISCOPO [1] *in causâ Theodori Forojulienſis Epiſcopi : Et Fauſti Abbatis Inſulæ Lirinenſis & Epiſcoporum celebratum Leonis I. Papæ* [2] *temporibus.*

NOTÆ.

1. IN *causa*] Ita videtur exponendus reſtituenduſque titulus, ut primo conſpectu utriuſque partis nomina & merita prodeant & ita omninò rem exponit Ravennius in enciclycâ infra ſubjicienda. Neque enim ut legitur in vulgatis editionibus, hæc *cauſa fuit Fauſti Abbatis & Epiſcoporum*; niſi per hos deſignari velint Præſules illos, qui à Theodori, tanquam ſingulorum jura communemque utilitatem vindicantis partibus ſtabant. Sed quanquam plures illi fuiſſent, intelligenda putamus hæc communis lectionis verba: *In cauſâ Fauſti Abbatis & Epiſcoporum*, de illis Epiſcopis qui Fauſti Lirinenſis defenſionem ſuſceperant, quorum fortè aut ſoli, aut ſaltèm præcipui fuere Valerianus, & Maximus, infrà memorati.

2. *Temporibus*] Concilij hujus epocham ſtatuere in primis convenit. Et quidem R. P. Jac. Sirmondus vir ſuo nomine ſatis notus, qui ejus acta primus in lucem edidit, probat celebratum fuiſſe intra *an.* CCCCXLIX. & LX. Cùm Ravennij tunc Metropolitæ adminiſtratio hæc tantummodo tempora expleverit. Conjicit tamen ejus celebrationem circa *an.* CCCCLV. nos circa annum ejuſdem ſæculi L. aut LI. retrahimus : his potiſſimum argumentis. Ac primum Theodorum Epiſcopum eo tempore ſenio jam confectum eſſe oportebat; laudatus enim à Caſſiano *Præfat. ad XVIII. Collat. illam Cœnobiorum diſciplinam in Provinciis Gallicanis olim fundaſſe*, debuit tunc provectæ fuiſſe ætatis & annum ſaltem ſexageſimum propiùs attigiſſe, ut convenienti auctoritate potuerit in tam varias regiones novum inſtitutum invehere. Unde cùm poſteà jam fermè decrepitus Epiſcopatus apicem aſſecutus ſit, ejus moderamen ultra *an.* CCCCLII. citra ſufficientem Scriptoris alicujus teſtificationem prorogari vix poterit; adeoque & ante annum illum LII. ejus Concilij epoche convenientiùs revocatur. II. Ejus occaſione Concilij quædam ſimulatum ſemina Ravennium inter & Theodorum ſuborta videntur, iſte namque, vel non jura omnia ſervata fuiſſe integra; vel Fauſtum nimia indulgentiâ exceptum eſſe cauſari poterat. Suſpicionis cauſam ſuggerit, quòd ipſe Ravennius Theodori ſubſcriptionem non prærequirit, in famoſâ illâ dogmatica ad Leonem epiſtolâ, Suffraganeorum omnium, aliorumque nomine firmatâ: Theodorus autem vice versâ hærens circa modum, pœnitentiam ægrotantibus impertiendi, inconſulto Ravennio, Leonis Pontificis ſententiam explorat. At hæc contigiſſe neceſſe fuit poſt Concilij celebrationem; ut quid enim Ravennij epiſtolare commercium declinaſſet Theodorus, ſi quàm citius Metropolitani illius judicium experiri debuiſſet? Hâc ſanè agendi ratione judicis ſui animum exacerbaſſet, cùm ab aliquo retrò tempore Lirinenſium cauſa agitata fuiſſet, & adhuc ſub judice lis maneret; ut inſinuant acta Concilij : quod ideo probabiliùs ad *an.* CCCCL. aut LI. revocari debere perſtamus. III. Videtur Leontius Arelatenſis, qui Ravennium excepit, longè ante Hilari Pontificatum (cujus initia aſſignantur *an.* CCCCLXI.) ſediſſe. Tunc enim & dignitatem Hilaro gratulatur Leontius, & antea habuiſſe Romæ Concordium Diaconum, qui illic haud dubie rerum ſuarum curam gereret, ſedente Leone deceſſore, ſuâ gratulatoria ſatis teſtatur. Unde & de Sede Arelatenſi præfatur, tanquam qui eam longiuſculè gubernaverat, quippe qui jam ſedis ſuæ privilegio adverſantes expertus fuerat; ut valdè probabile ſit eum ante *an.* CCCCLV. illius habenas ſuſcepiſſe. Quod ſi ante hunc annum exceſſit Ravennius, & Leontius Arelatenſis Antiſtes renuntiatus eſt, in anteriorem epocham retrahi neceſſariò Concilij celebrationem conſequens erit. IV. Denique (ut pluribus in decurſu probabitur) hoc Concilium à Calchedonenſis Oecumenici determinatione in aliquibus deflexit, quod nequaquam auſi eſſent Patres Arelatenſes, ſi poſt memorati generalis Concilij celebrationem congregati fuiſſent. Quod videtur peremptorium. Nam nequicquam obtenderetur Calchedonenſes definitiones Occidentalibus noſtris ignotas tùm eſſe potuiſſe, cùm notum ſit S. Leonem Papam de ejuſdem Sacri Concilij exitu Epiſcopos noſtros Provinciales *Ruſticum, Ravennium*, &c. (qui duo

præcipui Arelatenſis Conſeſſus moderatores fuere) certiores quàm primùm feciſſe, per Epiſtolam quæ eſt ordine X C I V. Extat etiam altera ejuſdem Pontificis de eodem argumento eſtque L I I. *ad Epiſcopos Provinciæ Narbonenſis*, quorum duodecim ibi recenſiti ſententiam dixerunt in Synodo Arelatenſi, quâ etiam poſteriori Epiſtola conſtat noſtros, Ingenulum Epiſcopum, haud dubiè ex eadem Provinciâ, ad Pontificem delegaſſe, qui quidem Ingenulus lator fuit ejuſce Leonis Epiſtolæ. Unde cùm hæc omnia poſteriora ſint Calchedonenſi Concilio, cujus ordinationes undique edidicerant Arelatenſis Provinciæ Præſules, neceſſariò eos ante hæc tempora Arelate conveniſſe cenſendum eſt. Si verò concilium Arelatenſe I I. vulgò dictum, ſedente Ravennio (ut exiſtimant autores poſtremæ collectionis Conciliorum) celebratum fuit, incertum eſt, an Concilium hoc noſtrum poſt illud coactum fuerit: adeoque vix tertium Arelatenſe nuncupari meritò poterit, priuſquam id certò ſtatuatur.

3. *Exemplar Epiſtolæ generalis, quæ ad Epiſcopos invitandos in causâ Inſulæ Lirinenſis miſſa eſt.*

QUOTIENS membrum aliquod quolibet infirmitatis genere laborat, fieri non poteſt, quin ejuſdem corporis etiam cætera membra condoleant: Et ideo cauſa quæ inter Sanctum Epiſcopum Theodorum & Sanctum [4] Valerianum, vel Sanctum [5] Maximum, item Epiſcopos, atque [6] Abbatem Fauſtum, nec non & reliquos fratres Inſulæ Lirinenſis acciderat, abſque dubio omnes nos, qui in Chriſto unum ſumus differre non poſſumus, niſi id agamus, qualitèr curetur & abſtergatur. Ad hoc itaque remediandum [7] ſcandalum [8] orationibus veſtris [9] III. Kal. Ianuarias audientiæ dies eſt conſtitutus. Rogamus ergo ut ſanctitas veſtra ſe uſque Arelate fatigare dignetur: quatinùs tantum malum, quod [10] dilatione plus creſcit, beatitudinis veſtræ præſentiâ terminetur. [11] Talis enim cauſa quæ tam [12] grande ſcandalum gignit", ſicut [13] atrocitate ſui multos" genuerit. involvit, ita plures qui in Chriſto medeantur expoſcit.

NOTÆ.

3. E-*Xemplar*] Hæc Epiſtola & reliqua Concilij acta, ſi quæ unquam, ex omni parte genuina ſunt & authentica; hæc ſiquidem Jac. Sirmundus primus edidit ex probato MS. Codice Eccleſiæ Lugdunenſis: Et qui illi eruditione, & rei literariæ illuſtrationis ſtudio, non fuit inferior Lucas Holſtenius, hæc eadem reperit, inter acta Synodi Carthaginienſis ſub Bonifacio celebratæ *an.* D X X V. quam è vetuſtiſſimo *Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ* exſcripſit, & noviſſimæ Conciliorum editioni, adjici curavit: monetque inſuper hujus Concilij decretum extare in alio Codice Langobardico vetuſtiſſimo ejuſdem bibliothecæ Vaticanæ num. 5845. Epiſtolæ autem titulus concordat cum Vaticano, cujus variantem lectionem, prout occurret, ad marginem annotabimus. *Nunc* (ut cum jureconſultis loquar) *aptanda venit ſingulis verbis Senatus-Conſulti congruens interpretatio.*

4. *Valerianum*] Iſte haud dubiè fuit Cemelio-Nicienſis Epiſcopus cujus extant homiliæ à Jac. Sirmondo ex codice MS. Monaſterij Corbeïenſis primum editæ, & à Theophilo Raynaudo illius ſodali

vehementi ſtudio, & apparatu à Semipelagiani erroris labe vindicatæ. An autem iſte, idem fuerit, ad quem Epiſtolam paræneticam verè auream *de contemptione rerum humanarum & veræ ſapientiæ ſtudio* tranſmiſit Eucherius circa *an.* CCCCXXXII. antequam ad Lugdunenſem Sedem fuiſſet aſſumptus, major eſt difficultas. Conſtat ſiquidem eum cui ſcripſit Eucherius, hominem fuiſſe matrimonij vinculis alligatum, quod indicant verba illa: *Quamvis in Maximos ſæculi apices patre ſocereque elatus, illuſtribus ex utroque titulis ambiaris*; unde etiam ſi Eucherij luculenta exhortatio eum à mundi contemptu, ad cœleſtis Philoſophiæ amorem pellexiſſe ultrò credamus; quem enim argumenti dignitas & ἐνέργεια non raperent? Vix potuit tam citò uxori & domui nuntium remittere, ut, intra tempora renunciationis ſuæ, & Concilij Arelatenſis celebrationem, fuerit ad infulas evocatus. Quod ſi factum fuit, tùnc etiam Valerianus ante Maximum memoratus non fuiſſet, qui Lirinenſi præfecturâ exacta, ad ſedem Reienſem ſublimatus fuerat, cum Valerianus adhuc ſæculi illecebris irretitus, ab Eucherio inſtitutionem acciperet. Movere poteſt iterum quòd de Valeriano illo nulla in Lirinenſi Chronologia habeatur mentio. Opinatur quidem Theophilus Raynaudus eundem eſſe, qui ſub S. Valerij nomenclaturâ, ſolemnitatem habet ad diem XXIV. Julij in tabulis Lirinenſibus, quibus concinit Martyrologium Monaſticum Arnaldi VVionis, ita ut in antiquioribus diptychis, unde Martyrologia illa confecta ſunt, *per feſtinationem Amanüenſium, notarum compendia* (inquit) *conſectantium, ſcribi contigerit, pro Valeriano, Valerius*, nota adhibitâ, quâ, in alia exſcriptione, prætermiſſâ, remanſerit Valerius. Ita P. Theoph. Raynaudus. Ego huic poſteriori ſententiæ potiùs adhæſerim, quod pro comperto habeatur, Valerium Lirini circa hæc tempora degiſſe Monachum, & ad Epiſcopalem Sedem poſtea arreptum fuiſſe. Imò & de Valeriani in Valerium converſione, alia adduci causâ poteſt, ut nimirùm error irrepſerit, ex proſâ illa rithmica, à Lirinenſibus, ab aliquot retro ſæculis, in ſuis hymnis, laudes plurium Sanctorum Lirinenſium complectentibus adhibitâ, ubi ita de Valerio:

Inſignem Valerium
Chriſti ſervum propium
Et ſignis eximium
Collaudant ſuperſtites.

Ex his enim quis non intelligit facile Valerianum in Valerium fuiſſe converſum, ut quadraret rithmus? Obſervabat namque vir in antiquis verſatiſſimus maximam illam errorum ſcaturiginem, quæ in actis Sanctorum plurimis irrepſerat, ex proſâ illa rithmis conſtante ſæpius proveniſſe, quæ cum elucubrata fuerit à ſciolis, contigit plerunque, ut plus laborarint in metro & numero pedum ſervando & rithmo comperiendo, quàm in hiſtoriæ veritate ſyncere exponendâ: unde multoties improprium falſumque ſenſum rebus dederunt, ut verba verbis conſonantia redderent. Illi igitur, *Chriſti ſervum proprium & ſignis eximium, Valerium* conſignarunt, non Valerianum; quòd iſtum rithmorum metrique ratio continere non poſſet. Martyrologia itaque vel ex hymnis hujuſcemodi conflata, vel emendata fuerunt; unde Valerij nomenclatura ſuperſtes fuit.

Hæc in robur P. Theophili judicij adduci poſſunt; at Valerianum illum matrimonio alligatum & ab Eucherio inſtitutum, ab iſto Valerio ſeu Valeriano Epiſcopo alium non eſſe, cum eodem Scriptore, Heriberti Roſvueydi *in notis ad Eucherij Paræneſim* ſententiam ſecuto, non convenio; cujus levior planè eſt conjectura, dum ait, *vel Valeriani conjugium non fuiſſe tunc niſi deſignatum, vel quod aliis pleriſque accidit, Valerianum, annuente conjuge, aut non ultra ſuperſtite, liberum fuiſſe ad ſanctum inſtitutum capeſſendum.* Illi, inquam, opinationi non adhæreo, namque ex Eucherij Epiſtolæ præcitatis ſuperiùs verbis evincitur Valerianus adhuc ſæculo & uxori conjunctus; & ſequentia quæ habet ſub finem ejuſdem piæ lucubrationis, illud explicatiùs declarant. Ita enim cognatum ſuum affatur Eucherius: *Omitte illas quibus oblectaris ſententias, atque ad ſtudia te noſtrorum & ſcripta converte, &c. Illic enim feliciora ſuadeberis, dum dicetur, fidelium conjugiorum fructus, eſt continentia.* Quo apparet eum in propriâ conſanguineum ſuum alloqui & tanquam uxoratum tùm recognoſcere, quem ideo cupit feliciora doceri, ex converſione ſui ad ſtudia & ſcripta Sanctorum. Præterea Gennadius qui longè poſt hæc tempora & fermè ſub ejus ſæculi finem Catalogum ſuum edidit, dùm de Eucherij præfata Epiſtola loquitur, meminit quidem Valeriani ejus *Propinqui*, ad quem directam eſſe teſtatur, ſed abſque ulla profeſſionis aut dignitatis expreſſione, quod ibidem recenſere non prætermittit de Verano & Salonio Eucherij filiis ſermonem perſequens, quos *poſtea Epiſcopos* fuiſſe diſertè tradit. Porro Valerianus Epiſcopus mihi idem videtur, qui Reienſem Synodum ſubſcriptione ſua firmavit, ante Maximum Urbis Præſulem & Theodorum noſtrum, cujuſque item celebris eſt memoria inter Epiſtolas S. Leonis

Papæ: Subſcripſit euim inter primos Epiſtolæ dogmaticæ ad eundem S. Leonem à Ravennio & Comprovuicialibus directæ, nec non libello ab iiſdem ad præfatum Pontificem miſſo, pro inſtauratione jurium Arelatenſis Metropoleos. Extatque tandem altera ipſius Leonis ad Valerianum & Ingenuum & Galliarum reliquos Epiſcopos,etſi quæ aliæ. At quo anno Reïenſe Concilium habitum fuit, Valerianus qui ejus actis conſenſiſſe teperitur, uon potuit eſſe ille Eucherij conſanguineus. Quorſum enim homo diſciplinæ rudis matrimcuio & curis ſæcularibus implicatus *an.* CCCCXXXII. quo ab Eucherio ad melioris vitæ conſectationem incitatus fuit, potuiſſet intra quatuor aut quinque annorum ſpatium ſæculo penitus renuntiaſſe, Monachum induiſſe, moxque ſodalitij curæ præpoui, ut ex eo regimine ad Eccleſiæ moderameu evocatus inter Patres Reïenſis Concilij reſederit? Hunc ſane morem hæc tempora nou ferebant, ut tam ſubitò quis Monachis præficeretur, ut enim ſcitè Caſſianus ex Majorum ore pronunciat *lib. II. cap. III. de inſtitutis Cœnobior. Ideoque nullus congregationi fratrum præfecturus eligitur, priuſquam idem qui præficiendus eſt, quid obtemperaturus oporteat imperari obedienle didicerit; & quid junioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuerit aſſecutus.* Quod autem Valerianus ille Epiſcopus cujus reperta ſunt opera Aſceterio præfuerit, liquidò evincit ejus homiliarum poſtrema, ad Monachos ſpeciatim ſcripta, cujus hoc initium eſt: *Impoſita mihi veterum circa me veſtrorum ſarcinæ, etſi interim corpore, ut ſcriptum eſt, abſens, præſens tamen ſpiritu ac mente ſuccedo.* Fuit ergo Valerianus Cemelenenſis Epiſcopus, ante dignitatem Monachus, & ex Monacho Abbas, à Valeriano alio S. Eucherij gentili, ut videtur, planè diverſus. Sed ex complanatâ ſotte difficultate, in aliam delabimur: cum euim pro comperto habeatur Valerianum illum Lirini Monaſticen profeſſum; tempus quod ejus adminiſtrationi aſſignetur, uullum reperitur, quandoquidem Honorato primo inſtitutori ſubſtitutus eſt Maximus, qui Fauſto deceſſit, iſtoque Liriuum regente, Valerianus inter Præſules ejus controverſiæ cum Theodoro recenſetur. Nolo ſanè quorundam ſententiæ adſtipulari, qui Valerianum Lirini Aſcetam degiſſe, ex nulla auctoritate probari poſſe exiſtimantes, facilè ejus Homiliæ præcitata verba explicant de alterius in Provincia exiſtentis Cœnobij moderamine, ubi haud dubiè plura uumerabantur. Puto enim Valeriani Mouaſticam præfecturam receptæ trium priorum Lirineuſium Abbatum Chronologiæ in nullo adverſari, ſi dicatur videlicet, inter tempus adminiſtrationis S. Maximi, Valerianum aut in Monaſterio Lirineuſi, aut in aliis ejuſdem inſtituti eidem Maximo vicarium deputatum eſſe. Namque de hoc Abbatis vicario ſingulis Monaſteriis, tam ipſius Abbatis quàm præcipuorum Monachorum votis, ex antiquo more præficiendo, prolixè loquuntur Regulæ Tarnatenſes, & quæ ſub SS. Iſidori, Columbaui, Ferreoli, uoſtrique Cæſarij nomine conſcriptæ ſunt. Imò & Fauſtus uoſter ſæpe ejuſcemodi Præpoſiti meminit in ſermonibus IV. quos V. Cl. Lucas Holſtenius edidit ad calcem *Cod. regul. collect. à S. Bened. Anian.* Hic autem, Præpoſitus primum vocari cœpit, tantæque autoritatis, in Occidente ſaltem, cenſebatur, ut à proprio Epiſcopo & Abbatibus ad Abbatis inaugurationem vocari conſuetis, ipſe quoque benedictionem acciperet. Ejuſdem porrò officij meminit Gregorius Turon *cap. LXXX. de gloria Confeſſ.* de Auguſto Abbate ſermonem texens: *unde factum eſt,* inquit, *ut inſequenti accerſitus Auguſtus ab Epiſcopo Abbas ordinaretur, in Baſilica S. Symphoriani, quam memoratus Pontifex fabricaverat, &c. Nec tamen Monachos, quos prius congregaverat, relinquens, ſed inſtituens eis Præpoſitum, ipſe utraſque cellulas gubernabat.* Sed uec apud Orientales id nomeu & munus incognitum, nam Monachorum parens celebris S. Baſilius *Reg. XLV. inter fuſ. diſputatas* de eo mentionem habet. Cur ergo & ſimilem præpoſituram Valeriano conferre aut ipſe S. Maximus, aut ipſi Aſcetæ Lirinenſes, aut utrique non potuere, quo verèdicere fas illi fuerit *veterum ſibi impoſitam fuiſſe ſarcinam*, de qua ſupra: Denique ut è diverticulo prolixiori iu viam regrediar, Valerianus ille qui in Raveunij præſenti encíclyca Lirinenſium partes amplectens memoratur eundem prorſus eſſe qui hanc ad Monachos Epiſtolam dedit graviſſima conjectura eſt. Quinam etenim niſi Lirinenſium alummi cauſam adverſus Collegam tuiti fuiſſent? pro ea ſtabat S. Maximus olim Abbas, tunc Reïenſis Epiſcopus, & qui ei in enciclyca ſocius adjungitur, non alius, quàm ejuſdem congregationis ſodalis eſſe probato ſatis ſuperque fundamento cenſeri debet.

5. *Maximum*] Is fuit S. Maximus Reïenſis, idem qui antea à Forojulienſibus electus, expetitus fuerat in Præſulem, qui licet hoc in negotio adverſus Theodorum & Eccleſiæ Forojulienſis jura ſtetiſſet, ab eâ nihilominus, ob eam electionem, uti proprius Epiſcopus cenſetur, eoque titulo memoria ejus ex antiquo more quotannis recolitur. Unde doceri debemus Eccleſiis onus quidem incumbere jura ſua ſolerter tuendi adverſus quoſcunque, ſed abſque invidiâ & fellis amaritudine. In quo aliquando peccatum fuit contra Sanctiſſimos viros.

6. *Abbatem Fauſtum.*] Fauſtus & reliqui Lirinenſes in unum convenerant.

7. *Scandalum.*] Cauſa hæc gravis, multiſque offendiculo fuerat.

8. *Orationibus.*] Tùm quia ab oratione ducebatur initium; tum quia ut habet *in Bruto* Cicero; *omni locutio oratio eſt*, unius tamen oratoris locutio hoc proprio ſignata nomine eſt. Hic igitur cùm plurium oratorum locutiones intercedere deberent, ſcitè dictum: *Orationibus veſtris*, &c.

9. *III. Kal. Ian.*] Poſtrid. feſtiv. S. Trophimi Arelatenſium & Provincialium Apoſtoli.

10. *Dilatione.*] A aliquo retro tempore exorta videtur controverſia, ut ſupra notavimus.

11. *Talis.*] Exageratur hic cauſæ momentum.

12. *Grande ſcandalum.*] Scandali gravitas rurſus ob oculos ponitur.

13. *Atrocitate.*] Penſanda veniunt verba illa: quinam enim illius atrocitatis miniſtri eſſe potuerunt? abſit enim credere laicam illam Lirinenſium multitudinem gravius illud ſcandalum excitaſſe, vique adhibitâ diſciplinæ ſtimulum repuliſſe, ut ipſe orationis contextus inſinuare videtur. Fuere fortè quidam exteri, qui zelum habentes, ſed non ſecundum ſcientiam, adverſus Theodorum inſurgere, & ſchiſmatis vexillum, ſub pietatis velamine præferre ſibi propoſuerant. Qualium & ſcandalorum plura leguntur exempla in annalibus Eccleſiaſticis.

Ad eos qui in ipſa [14] inſula ſunt.

Beatitudinem verò veſtram præcipuè adeſſe convenit, quos [14] Inſula ipſa velut ſinu quodam genitricis fovens, ad eam gratiam, quæ nunc in vobis eſt, Domino inſtigante perduxit.

NOTÆ.

14. *Inſula.*] Citantur hic Lirinenſes, ſed mirari ſubeſt, cùr ad Synodum evocantur, alterâ partium (Theodoro ſcilicet Epiſcopo) prorſùs innominatâ: niſi dixeris literas ad illum datas excidiſſe, neque enim enciclyca ſuperius exhibita tam ipſi, quàm aliis Epiſcopis communis eſſe potuit: illi enim ut controverſiæ judices conveniebantur, Theodorus ut cauſam tueretur interpellari debebat. Etenim non magis Lirinenſes, quàm Theodorum Arelatem ad id negotij conceſſiſſe neceſſe fuit.

Ad Sanctum [15] Ruſticum.

Ac præcipuè Beatitudo veſtra ut adſit primùm deprecamur, quia gravior infirmitas neceſſariò medicos periſſimos inquirit.

NOTÆ.

15. *Ruſticum.* Erat ille Epiſcopus Narbonenſis, celebris famâ vir ab S. Hieronymo *Epiſt. IV.* inſtitutus ad vitam Monaſticam, quam Lirini exegiſſe ſimillimum vero eſt. Erat ille tum Provinciæ ſuæ Metropolitanus, cui tamen, ex Zozimi præſcripto, præeminebat Arelatenſis Antiſtes, in qua etiam jus ordinationis, ſibi arrogabat. Quæ prærogativa licet à Bonifacio primo & Leone imminuta fuiſſet, circa ordinationis poteſtatem extra Provinciam, in reliquis viguiſſe, vel ex hac Epiſtola, colligi poſſe videtur: niſi dicatur id officij à Ravennio precibus requiſitum, ab Ruſtico itidem ex urbanitate impenſum eſſe. Quod non impugno; quamquam ex conſequentibus Pontificum Reſcriptis Hilari & Symmachi jus convocandi Metropolitanos ad Synodos, Arelatenſi ſervatum fuiſſe liqueat.

Inſtitutio

Inſtitutio Sanctorum Epiſcoporum Ravennÿ, Ruſtici, [16] Nectarÿ, [17] Flori, [18] Conſtantÿ, [19] Aſclepÿ, [20] Maximi, [21] Juſti, [22] Salonÿ, [23] Ingenui, [24] ‖ Ynantÿ, [25] Zottici, [26] Chryſanti, in cauſá inſulæ Lirinenſis. ‖ Enantij

NOTÆ.

16. NEctarÿ.] Is Dinienſis fuit Epiſcopus, cujus etiam ſubſcriptio reperitur in Reïenſi Concilio, ad irritandam ordinationem Armentarij Ebredunenſis Epiſcopi. Hic autem memoratur Nectarius, ante ipſum Ebredunenſem, in cujus Provinciâ ſitum eſt Dinienſe Caſtrum, eò quod moris eſſet antiqui, ut in Synodali conſeſſu, poſt Patriarchas & Primates, illi ſederent Epiſcopi, qui eſſent ordinatione antiquiores, qualem oportet fuiſſe Nectarium. Porrò iſte ad Leonem unà cum Conſtantio infra memorando miſſus eſt ab Hilario, ut videre eſt in ejus vitâ.

17. *Flori.*] Tricaſtinenſis, in Epiſtolâ Synodica Epiſcoporum Galliæ ad Leonem.

18. *Conſtantÿ*] Fortè Vceticenſis in eadem Epiſtolâ.

19. *Aſclepÿ*] Aptenſis in Concilio Reienſi & memoratâ Epiſtolâ.

20. *Maximi.*] Hunc multi Reienſem exiſtimant, at cùm neque Valerianus, neque Theodorus in conſeſſu comparuerint, quòd eorum cauſa agitaretur, neque Maximus ſententiam dixiſſe credendus eſt, cum illius etiam eſſet negotium: unde neceſſariò fuit Maximus ille alterius Sedis Epiſcopus. In Epiſtola autem ad Leonem, duo memorantur hujuſce nominis, quorum alter Maurianenſis, alter Avenionenſis Antiſtes creditur: hunc autem poſteriorem potiùs interfuiſſe putamus, quòd ejus Sedes intra Arelatenſem Provinciam cenſeretur, Maurianenſis ad Viennenſem reſpiceret.

21. *Juſti.*] Hujus mentio habetur in Concilio Arauſicano I. & in Epiſtola ad Leonem, in cujus expoſitione, Bucherius Juſtum Valentinenſem fuiſſe pronuntiat. Quam in ſententiam faciliè non iverim, eò quòd Juſtus videatur potiùs Arelatenſis Metropoleos, ad quem, alioſque ejuſdem Provinciæ Epiſcopos extant Leonis Papæ Epiſtolæ de electione Ravennij, & de diviſione Provinciarum Viennen. & Arelatenſis, datæ annis CCCCXLIX. & L. ad Epiſcopos, ut monui, Arelatenſis Provinciæ ſpeciatim exſcriptæ.

22. *Salonÿ*] Cujus ſedis fuerit Epiſcopus incertum eſt; alij enim Genuenſem apud Ligures: alij Gebennenſem in Allobrogibus: quidam Lugdunenſem: plures Viennenſem fuiſſe contendunt; veriùſque forſàn, qui neutram illarum ſedium occupaſſe dixerit. Ad Viennenſem enim, aut Lugdunenſem Epiſcopos de hac diſceptatione cognoſcere quorſum attinebat? Nam ſi quemadmodum Ruſticum, Salonium, vel Viennenſem, vel Lugdunenſem uti *medicum peritiſſimum* evocaſſet Ravennius; pari etiam quo Ruſticum, Metropolitam illum, aliquâ ſingulari honoris præfatione ſalutaſſet. De Gebennenſi, quia Viennenſi obtemperabat, jamque Provinciæ à Leone diviſæ erant, eadem quæ de Viennenſi recurrit ratio: Siquidem inculcare ſæpiùs convenit S. Leonem definitiva ſententiâ Arelatenſis & Viennenſis Metropoleon controverſiam diremiſſe, Reſcripto ſolenni dato an. CCCCL. *III. Non. Maÿ* quo nempe exceptis IV. oppidis Tarantaſia, Geneva, Gratianopoli, & Valentia Viennenſi adjudicatis, reliquas ad Arelatenſem pertinere decretum eſt. Contra autem hujus ſententiæ tenorem, neque Ravennius quidquam moliri auſus fuiſſet, alienoa Præſules Sedi alteri ſubditos convocando; neque Viennenſis paſſus fuiſſet, qui etiam hac ſententiâ Leonis, irrogatam ſibi injuriam reputans, aliquot poſt annis Arelatenſis Provinciæ Sedes uſurpare molitus fuit; tantum abeſt ut ſuas adverſario tùm permiſiſſet. Sed omnibus deteriùs opinantur, qui Salonium Genuenſem in Liguria Epiſcopum conſtituunt, nam Salonius in Gallia fuit Epiſcopus, ut probat ejus unà cum Collegis Ceretio & Verano ad Leonem Epiſtola, in qua illi ſe manifeſte Præſules Gallos produnt. Igitur cum memoratis ſedibus haudquaquam præfuiſſe Salonium exploratum ſit, probabiliſſimum eſt in Gallo-Provinciâ, hoc eſt ſub Arelatenſi Metropoli Epiſcopale pedum tractaſſe (quæ etiam eruditiſſimi Antonij Godæi in Verani ſui hiſtorico elogio ſententia eſt,) cum maximè in hoc Concilio præter Ruſticum, nonniſi illius Provinciæ Antiſtites reſederint. Porro Salonius iſte frater fuit S. Verani Vintij Nemauſenorum Epiſcopi: nobiliſſima S. Eucherij Lugdunenſis proles, ambo Lirinenſis Inſulæ ſub Hilario, Salviano, atque Vincentio alumni, virtutum omnium & doctrinę commendatione celebratiſſimi.

23. *Ingenui.*] Ebredunenſis, cui Hilarus Papa Pontificium Provinciæ ſuæ ſartum tectum ſervari voluit, Reſcripto *ad Veranum, Leontium, atque Victurum*: nam anteà ex Reienſis Synodi actis, Sedes Ebredunenſis, ſpecialiùs quàm poſthac, Arelatenſi ſubjiciebatur.

24. *Thanтij ſeu Enamij.*] Etſi ejus Sedes ignoratur, Provincialem tamen Epiſcopum fuiſſe prælegata ſatis ſuadent. Memoratur enim in Epiſtola Leonis ad comprovinciales Epiſcopos Metropoleos Arelatenſis.

25. *Zettici.*] Hujus nulla uſpiam in horum temporum monimentis memoria.

26. *Chriſanti.*] Forte Chriſaphii cujus ſubſcriptio notatur in memoratâ Epiſtola ad Leonem; ejuſque nominis, & inter hæc tempora Chriſaphius in ſerie Epiſcoporum Siſtaricenſium Antiſtes conſignatur.

Cum Arelate in [27] Secretario Eccleſiæ conveniſſemus, præmiſsâ prece ad Dominum, nullo [28] extrinſecùs arbitro interveniente reſedimus, de remedio ſcandali quod in Monaſterio in Inſula Lerinenſe obortum fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis, Sancto, ut credimus, Spiritu gubernante, ut omnibus quæ in [29] controverſiam venerant ſolicitè ventilatis atque diſcuſſis, Sanctus ac Beatiſſimus frater [30] Theodorus Epiſcopus primùm [31] exoraretur à nobis, ut ſcandalum quod ipſe ſicut & nos graviter dolebat exortum, [32] differendo in tempora manere diutiùs non [33] pateretur, ſed potiùs ad recipienda [34] ſatisfactionum remedia feſtinaret: & ſanctum Presbyterum [35] Fauſtum Abbatem Monaſterij ſupradicti, [36] indultâ, ſi qua illi eſſet, culpæ veniâ, [37] in priſtinâ pace toto caritatis affectû reciperet, & ad Inſulam ac Congregationem ipſi Deo diſpenſante commiſſam, cum ſuâ gratiâ & caritate [38] remitteret: Nec quidquam ex his, quæ ſibi fratrem Fauſtum arguebat feciſſe, aut verbis repeteret, aut animo retineret. Quin potiùs [a] [39] conlationem, [40] ut pote antiquus [b] Abba & Epiſcopus, ei [41] ut piam ac neceſſariam [42] perpetuò exhiberet, [43] & ſolatia ſecutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipſis, in quo uſus exigeret, pleniſſimè exhiberet. Hoc tamen ſibi [44] tantummodò vindicaturus, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ Leontius Epiſcopus vindicaverat: nempe ut [45] Clerici, atque Altaris miniſtri [46] non niſi ab ipſo, [47] vel cui ipſe injunxerit ordinentur: [48] Chriſma nonniſi ab ipſo ſperetur: [49] Neophyti ſi fuerint ab eodem [50] confirmentur: [51] Peregrini Clerici abſque ipſius præcepto in communionem, vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterij verò omnis [52] laïca multitudo, ad curam Abbatis

[a] Collationem.
[b] Abbas

pertineat; neque ex eâ Epiſcopus ſibi quidquam vindicet, aut aliquem [53] ex illâ Clericum, [54] niſi Abbate petente, præſumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum eſt, ut [55] Clerici ad ordinationem Epiſcopi debitâ ſubjectione reſpiciant; laïca, verò omnis Monaſterij Congregatio [56] ad ſolam ac liberam Abbatis proprij, [57] quem ſibi ipſa elegerit, ordinationem diſpoſitionemque pertineat. [58] Regulâ, quæ à Fundatore ipſius Monaſterij dudùm conſtituta eſt, in omnibus cuſtoditâ.

NOTÆ.

27. *In Secretario*] Diverſas habet ſignificationes vox iſta, hic tamen pro Sanctuario accipiendum: ita enim Patres Concilij Arelatenſis vulgo II. circa hæc tempora celebrati Can. XV. vocabulum interpretati ſunt. *In ſecretario Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumat. Quod ſi fecerit ab officio Diaconatus abſcedat.* Sancta autem impertiri non ſolita niſi intra Sanctuarium, quod erat quarta Eccleſiæ pars penitiſſima, cujus in medio ſitum erat altare primarium, in quo Sacerdos Sacra faciens, versâ ad populum facie, aſtabat. Eaque diſpoſitione obſervantur Romæ Baſilicæ Patriarchales, aliæque, inter quas, ea SS. Nerei & Achillei prætermitti non debet, quod illius ſitum venerandæ antiquitatis veſtigia omni ex parte ſincerè repræſentantem, ejus Titularis Cæſar Cardinal. Baronius immutari, inſculptâ marmori monitione, prohibuerit. Porrò per interiorem Sanctuarij circuitum, diſpoſitę erant exedrę pro Sacerdotibus, quibus in medio ac imo Sanctuarij hemicyclo pręeminebat Epiſcopalis Cathedra. Erat igitur locus ille, celebrandis ſacris comitiis accommodatiſſimus, unde & Concilium Calchedonenſe in eâ Eccleſiæ parte habitum fuit. *Adveniens* (inquit Liberatus Diaconus *in breviario cap. XIII.*) *Marcianus Imperator ad Secretarium, cum judicibus & Sacro Senatu, allocutionis verba fecit in Concilio:* & plurima Concilia Africana in Secretariis Baſilicarum celebrata commemorantur. Sed hic etiam inquirendi cauſa ſupperit, nùm plura forent in Eccleſiâ Secretaria? Et quidem, qui illud perſuadeat, inſignis locus extat apud Severum Sulpicium *lib. III. de vitâ S. Martini*, his quæ reddimus verbis: *Deinde Secretarium ingreſſus* (B. Martinus Epiſcop.) *cum ſolus* (*ut erat ei conſuetudo*) *reſideret, hanc enim ſibi in Eccleſiâ ſolitudinem, permiſſâ Clericis libertate, præſtabat; cùm quidem in alio Secretario Presbyteri ſederent, vel ſalutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati.* Ex quibus arguitur duo planè diverſa in Eccleſiâ fuiſſe Secretaria. Cur igitur in hoc poſteriori, Lirinenſium controverſia judicata non fuit, cum per ſe locus ille tractandis negotiis deſtinatus eſſet? quia ſcilicet temporales ſęcularium cauſæ hic eventilabantur, ſacras autem & Eccleſiaſticas in Secretariis penitioribus, ipſóque Sanctuario agitari convenientius erat. Porrò Secretarium illud paſſim receptorium & ſalutatorium apud Apoll. Sidonium *lib. V. Ep. XVII.* Gregorium *lib. IV. Ep. LIV.* nominatur. Sed & in Ambroſii vitâ apud Theodoretum *lib. V. cap. XVIII.* mentio habetur *de ædiculâ ſalutatoriâ*, in qua conſidebat Ambroſius Theodoſium Imperatorem ad Eccleſiam venientem operiens, quam à Salutatorio & receptorio memoratis diverſam non puto, niſi quod Mediolanenſis ædicula, aut in Eccleſię veſtibulo, aut ab ea tantillum ſejuncta fuiſſe, quæ autem à Sulpicio deſcribitur intra Eccleſię ſepta collocata videatur.

28. *Extrinſecus.*] Nulli extrinſecus intervenire poterant, quòd Sanctuarium undique cancelli circuncluderent, ut videre eſt apud Euſebium *lib. X. Hiſtor. cap. IV.* in ſplendida deſcriptione Baſilicæ Tyri, à Paulino Epiſcopo dedicatę: *atque*, inquit, *hæc Sacraria multitudini inacceſſa eſſent, ea rurſus ligneis cancellis munivit, &c.* Hic autem ſpecialis urgebat cauſa, cur nullus extrinſecùs arbiter interveniret, quia cum tractandem eſſet de ſcandalo inter Deo conſecratos homines exorto, cujus atrocitas exteros quoſdam miniſtros obvolvebat, magna cautelâ & rerum geſtarum ſilentio, controverſia componenda erat.

29. *Controverſiam.*] Diſcuſſa quidem ſunt in Concilio quę in controverſiam venerant, at propter te-

ligioſi nominis reverentiam conſignata non fuerunt. Exiſtimant plerique eruditi Theodorum Epiſcopum, dùm juriſdictionem & viſitandi jus in Lirinenſe Monaſterium exequi vellet, obſiſtente Abbate Fauſto repulſam paſſum eſſe: quod non abnuimus.

30. *Theodorus*] Ex his aliiſque infrà notandis evinci poſſe videtur Theodorum in Vrbem Arelatenſem veniſſe.

31. *Exorareiur*] Ex eo agnoſcunt Patres pleniſſimam Diœceſani Epiſcopi poteſtatem, & in exorti ſcandali cauſá, in nullo prorſus fuiſſe culpabilem, cum & ipſe, ſicut reliqui Epiſcopi exortum graviter dolerent.

32. *Differendo*] Laudant etiam Theodori patientiam & manſuetudinem, quarum mirum exhiboeat ſpecimen in dilatione vindictæ, quam facinoris ratio maximam poſtulabat: tantum abeſt ut aliquid præcipiti animo, & extra diſciplinæ ſacrorum Canonum præſcriptum attentaverit.

33. *Pateretur.*] Provocant ergo illum Patres ad ſacram diſciplinæ mucronem diligentiùs exercendum, quo exorti ſcandali cauſas, pro ea qua pollebat auctoritate, atque ſapientia, omnes amputaret.

34. *Satisfactionum remedia.*] Ob repulſam utique, aliaſque offenſas quibus impetitus fuerat. Atque, hæc ſatisfactionum remedia non præſcribit Synodus, ſed Theodori modeſtiæ & diſcretioni omnem correptionis & pœnitentiæ rationem permittit, ut ex ea, quam Diœceſano adſcribebat, auctoritate, eandem magis ſuſpicere & venerari alij docerentur.

35. *Fauſtum Abbatem.*] Hic tandem venitur ad Fauſtum, in quem è judicibus plures propenſiores fuiſſe videntur: Nam multa in ſe moltum fuiſſe conquerebatur Theodorus, unde---

36. *Indulta.*] Veniam pro Fauſto deprecantur, cujus tamen culpam attenuare collaborant.

37. *In priſtina pace.*] Non deſunt qui exiſtimant Fauſtum à communione alienum factum fuiſſe decreto Diœceſani.

38. *Remitteret.*] Imò & ab Aſceterij moderamine, Pontificio judicio exauctoratum; quorſum enim debuiſſet ad inſulam & congregationem ab Epiſcopo remitti, niſi ab ejus adminiſtratione ſuam ob contumaciam remotus fuiſſet!

39. *Collationem*, vel *conlationem.*] De hac voce nihil hactenus, apud eos qui hujuſce Concilij geſta attigere, obſervatum fuit. Ego puto ſecundum propriam & genuinam ſignificationem intelligi debere & ſumi collationem pro canone, ſeu congiario, vel tributo. Budæus namque collationem pro talea vertit. *Collationem*, inquit, *antiqui vocabant, quæ indictio alias latine dicitur*: vulgus taleam vocat. Plinius *in Panegyr. Nam mihi cogitanti eundem te collationes remiſiſſe, donativum reddidiſſe, congiarium obtuliſſe.* In eundem ſenſum accepit Livius *lib. IV.* ſic enim ſub finem habet: *Patres bonis cœperant rem perſeveranter tueri, conferre ipſi primi: & quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidem ad ærarium convehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant.* Loquitur de ſtipendiis militiæ Romanæ ex ære publico aſſignatis. Cælius Rhodigin. *lib. V. Lectionum antiquar. cap. XI. Aſconius Pedianus*, inquit, *tributorum genera facit tria: canonem ut in portitorio & vectigali: oblationem ut in vinis deſtractione: indictionem quæ vulgo dicitur talea, latine collatio ſive collecta: ut apud Ciceronem lib. II. de oratore.* Collatio itaque pro Canone, talea, vel tributo accipi debet; dùmque Patres Theodorum Epiſcopum deprecantur, ut Fauſto Abbati *collationem exhibeat*, nil aliud indicant, nec intendunt, quam ut Antiſtes, ex eleemoſynis ab Eccleſia ſua erogari ſolitis, certam portionem in Monaſterij refrigerium impendere non deſinat. Atque haud ſcio an alludant tum Patres, ad illud Apoſtoli *Epiſt. ad Roman. cap. XV. Probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum qui ſunt in Hieruſalem*: ſiquidem *collationem* vertit interpres hanc vocem Græci textus κοινωνίαν, quæ communionem ſeu communicationem ſignificat, & ut ait Gagneïus in hunc locum *de bonis ſuis impertitio.* Certè vox illa apud Eccleſiaſticos ſcriptores in eadem ſignificatione frequenter adhibetur. S. Leo inter plura, quæ paſſim in ejus Sermonibus de eadem obſervari poſſunt, ſpeciali Sermone *de Collectis* hæc habet: *Providenter à Sanctis Patribus, pietate diſpoſitum eſt, ut in diverſis temporibus quidam eſſent dies, qui devotionem fidelis populi ad Collationem publicam provocarent, ad cujus operis deſideratum robur, ut credimus, fructum dies vos vicinus invitat, ut ad Eccleſias regionum veſtrarum Sabbato proximè futuro miſericordiæ munera deferatis.* Ibi autem collatio, pro eleemoſyná, piá præſtatione ſeu *miſericordiæ munere*, manifeſtè uſurpatur. Quem etiam in ſenſum aſſumit eandem vocem Edictum Theodorici Regis *cap. LXX. Quiſquis Curialem, aut Collegiatum, aut ſervum per XXX. annos poſſederit, qui nullam patria ſua collationem fuiſſe monſtratur, eos prædiorum dominis jubemus adquiri*: quia ſcilicet aſſuetam penſitationem Reipublicæ non perſolverunt. Hinc ut paſſim in jure Civili obſervatur, Collatores dicuntur, qui tributa conferunt, eorumque frequens eſt mentio apud Julianum Anteceſſ. C. *DXXXII.... Gratis autem nullatenus volumus ſumptus*

accipere milites à collatoribus, licet minimè eis apparata fuerint annona, neque autem intrita à collatoribus exigenda eſſe permittimus, quos inlæſos & indemnes undique conſervari juſtum eſt. Et in C. ſequenti: *milites pro annonis ſuis eas ſpecies accipere debent, quas per ſingula loca invenire certum eſt, non autem quærere tales ſpecies, quæ in ea Provincia non inveniuntur, neque propter hoc vexare collatores.* Et alibi ſæpiùs. Collatores itaque denominabantur qui tributa ex officij ratione conferebant: qui autem eiſdem ob ſervitutem obnoxij erant, Collaterij audiebant; de quibus Vitalis Oſcenſis Epiſcopus, qui floruit Jacobi I. Aragonum Regis temporibus, hæc habet: *fuerunt etiam quandoque Villani qui Collaterij vocabantur, qui tam crudeli erant ſubditi ſervituti, ut etiam inter filios Dominorum ſuorum ducebantur gladio dividendi.* Sed de collatione & deductis inde denominationibus ſatis, nam explicationem hanc noſtram ſequentia clariorem efficient.

40. *Utpote antiquus Abba & Epiſcopus.*] Quò enim magis pietatem & liberalitatem Præſulis commoveant, in memoriam revocant, quod ipſe olim Monachorum pater extiterit, ut utroque officij præteriti & præſentis intuitu, tam ſanctæ congregationis paternam curam ſuſcipere perſeveret. Nam verba illa *antiquus Abba & Epiſcopus*, non niſi de Theodoro poſſunt intelligi, eòque apertè adducit contextus & ratio ſermonis, ut legenti manifeſtum fiet: neque alias ipſe Fauſtus antiquus Abba dici poterat, quippe qui præfectus tantùm fuerat Monaſterio ab annis ſexdecim. Denique apertus eſt omninò ſenſus in contextu; ut *Theodorus collationem, utpote antiquus Abba & Epiſcopus, ei* (Fauſto ſcilicet) *exhiberet*: ubi vides alterum ab altero explicatè diſtingui.

41. *Ut piam ac neceſſariam.*] Collationem illam piam ac neceſſariam Patres vocitant, quia ad pietatem Præſulis ſpectabat, illam erogare, neceſſitatiſque erat Monachis Evangelicæ paupertatis ſectatoribus, illam, in vitæ ſuſtentationem recipere. *Etenim* (ut habet S. Hilarius in vita deceſſoris) *Honoratus nihil ſibi, nihil ſuis præter præ ſentium dierum victum & veſtitum reſervaverat, exhauſtaque eſt aliquando diſpenſationis ſubſtantia, fides nunquam.* His conſummatæ perfectionis inſtitutionibus adhærere poſt multa etiam ſecula Lirinenſes gloriati ſunt, ut mirum non fuerit, ſi Forojulienſis Eccleſiæ cenſu & ſolitis ſtipendiis indigerent. Hos certè inter primarios pauperes cenſere debuerunt Forojulienſes Epiſcopi, qui omnibus ſeculi facultatibus abdicatis, nudam crucem, nudi ſequi æmulabantur, hiſque quadantenus adſtringebatur Eccleſia tot ſolatia impendere, ut pro his quæ in mundo ſpreverant, ad Evangelicam menſuram, centuplum in ſanctioris diſciplinæ conſectatione recuperarent. Neque in eo Theodorus & pro tempore ſuccedentes Epiſcopi, aliquid a Sanctorum Patrum exemplis, aut à Sacrorum Canonum præceptionibus alienum exequebantur. Fundarunt enim, dotaruntque, majorem partem, Epiſcopi, quæ ſuperſunt monaſteria, etiam ex Eccleſiæ redditibus. S. Joannes Alexandrinus, Eleemoſynarius nuncupatus duo hujuſcemodi fundaverat Alexandriæ, teſte Leontio ejus vitæ ſcriptore. Baſilius innumera, in Monachorum ſolatium, præſtiterat. S. Gregorius Papa multa Monaſteria ſua munificentia cumulavit, qui jam ante Epiſcopatum plura fundaverat. Hunc in Hiſpaniis imitatus fuit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Bæticâ, poſt Leandrum fratrem: Sed qui multis liberalitate, atque exemplo anteponendi ſunt; hi ſunt Galliæ noſtræ Præſules quorum piis eleemoſynis debet fermè Monaſtica profeſſio, quidquid ibi ab antiquo ſuum computat. Nota omnibus S. Exuperij Toloſani Epiſcopi in Monachos munifica propenſio, quos nedum extra Diœceſim, ſed extra Europam Eccleſiaſticorum proventuum erogatione foviſſe, cumulatè laudat S. Hieronymus præfatione *in lib.* I. *Ezechielis*: *Gaviſus ſum* (illius verba ſunt) *te eſſe ſoſpitem & memorem mei, omniumque fratrum qui in ſancto loco Domino ſerviunt, in quorum refrigerio facis tibi amicos de iniquo mammona.* Hæc Hieronymus dùm Hieroſolymis degeret. Similia habet *præfat. in lib. II. Ezechielis*: *Frater Siſinnius Ægyptum ire feſtinat, ut odorem bonæ fragrantiæ qui à te miſſus eſt, fratribus illuc quoque perferat, & nequaquam Æthiopiæ flumine, ſed Galliarum largiſſimis aquis rigentur arva ſitientia.* Taceo de Syagrio Æduenſi, & Cæſario Arelatenſi Epiſcopis, qui ambo Monaſteria in urbibus ſuis fundaſſe memorantur. Licet autem, id facti, Sanctiſſimorum Præſulum exemplis, ſatis ſuperque laudabile videretur, acceſſere tamen Eccleſiæ leges in variis Conciliis editæ, quibus donaria illa, ex Eccleſiæ rebus, in Monachorum ſolatia liberaliter conceſſa, firma rataque habentur. Concilium III. Toletanum hanc Epiſcopis facultatem ſervat can. III. *Si quid verò quod utilitatem non gravet Eccleſiæ, pro ſuffragio Monachorum, vel Eccleſiis ad ſuam Parochiam pertinentibus dederunt, firmum maneat.* & can. IV. *Si Epiſcopus unam de Parochianis Eccleſiis, Monaſterium dicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de conſenſu concilij ſui faciat; qui etiam ſi de rebus Eccleſiæ, pro eorum ſubſtantia, aliquid, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibet, eidem loco donaverit, ſit ſtabile. Rei enim bonæ ſtatuendæ Sanctum Concilium dat aſſenſum.* At cum erga Monaſteria plus ni-

mio liberales extitiſſent Epiſcopi, quòd decurſu temporum in his ſolùm veræ pietatis exempla ſplenderent; nè tamen ejus ſpecie, res Eccleſiæ omnino diſtraherentur, facultas donandi vltra quinquageſimam bonorum Eccleſiæ portionem, adempta fuit Epiſcopis can. V. Concilij IX. Toletani. *Monaſterio non amplius quàm quinquageſimam partem dare debebit, ex rebus Eccleſiæ, cui præſidet.* Porrò ante hæc, curam iſtam Monaſteriorum commendaverat Calchedonenſe Concilium his IV. Canonis verbis: *Civitatis autem Epiſcopum, oportet eam, quam par eſt, Monaſteriorum curam gerere.* In quæ, ita Theod. Balzamon. *Quomodo etiam Monachis, quibus nulla ſunt facultates, ſi neceſſaria ad vitam ſubſidia deſtituantur, ut egentibus, ea quæ ad victum utilia ſunt, ab Epiſcopo ſuppeditari, canon hic jubet.*

42. *Perpetuo exhiberet.*] Quæ etiam planiorem clarioremque explicationem noſtram produnt: quænam enim tam pia & neceſſaria poterat eſſe collatio illa, à Theodoro perpetuò exhibenda, niſi canon & caritatis tributum continuò ad Monaſterij ſuſtentationem impendendum? ſanè neque Theodorus, neque ſuccedentes Epiſcopi ſalubre Patrum conſilium exequi deſtitere; aut ſaltem ſi Theodorus, fato præveniente, quæ verbis dignatus fuerat promittere, rebus ipſis pleniſſimè exhibere non potuit, id ejus Cathedræ ſucceſſores cumulatè præſtitere: nam Gancelmus ſeu Gaucelinus Epiſcopus, Lirinenſi Monaſterio & Monachis ibi in perpetuum Deo famulantibus *V. Eccleſias cum ſuis omnibus altaribus & pertinentiis*, iterumque aliam Eccleſiam *S. Petri ad Figolas cum ſuo ſponſalitio* in Monachorum convictum dedit, ineunte XI. ſæculo. Et qui eum non multò poſt ſubſecutus eſt Bertrandus: *Deſiderans*, inquit, *eorum Præſulum ſequi veſtigia qui ſuis opibus Monaſteria fundaverant* (deceſſores ſuos fortè intelligit) *Lirinenſes Monachos in Dei famulatu die noctuque perſeverantes*, multis magniſque donatiis affecit, ut alios omittam. Unde & meritò Forojulienſis Eccleſia non tàm auctoritate, quàm pietate & cenſuum perpetua erogatione, Lirinenſium mater & nutrix pientiſſima dici potuit.

43. *Et ſolatia ſecutura.*] Etſi ſolatium pro quovis auxilij genere accipi poſſit, & ita accipiant pleriſque auctores, ut Gregorius M. *lib. I. Epiſt. XIII. lib. X. Ep. XXV.* Regula Tarnatenſis & Regula S. Benedicti: Jornandes *de rebus Goticis cap. XXXII.* in quo hæc habet: *Ita convenit paciſci, ut Placidiam ſororem Principis redderet, ſuaque ſolatia Romanæ Reipublicæ, ubi uſus exigeret, non denegaret*: quæ ſimilia fermè ſunt, his quæ habentur dicta ad Theodorum; quæve quamvis in eundem ſenſum trahi poſſint, haud ſcio an rectiùs, *ſolatia* illa *quæ verbis dignabatur promittere Theodorus* debeant quemadmodum *collatio*, rurſus intelligi de penſitatione ſeu cenſu caritativè ab Eccleſia Forojulienſi perſolvendo; namque apud probatos ſcriptores, eandem interpretationem accipit hoc vocabulum. Julianus Anteceſſor conſtitut. CXXIII. . . . . *quas ſpecies uniuſcujuſque numeri optiones ſine ulla dilatione ſuſcipientes militibus erogare poſſint, quintadecimâ videlicet parte, pro ſolatio ſibi retinentes, & facientes ſollenniter apochas de iiſdem impenſis &c.* Sed clariùs Gregorius M. *lib. VII. Epiſt. XXXIII. ad Joannem Epiſcopum Schillitanum* reſcribens, in cauſa Caſtellienſis Monaſterij. *Indicaverunt etiam*, inquit, *prædicti Monachi Caſtrum quod Schillicanum dicitur, in ſolo juris Monaſterij eorum eſſe fundatum, itaque habitantes ob hoc illic factis libellis Solatium annis ſingulis ſpopondiſſe perſolvere, ſed poſteà contempſiſſe, & ab eadem ſe præſtatione ſuſpendiſſe.* Hic autem explicatè *Solatium* pro tributo, ſeu penſitatione uſurpatur.

44. *Tantummodo.*] Plura haud dubiè ex antiquæ diſciplinæ uſu poſtulabat Theodorus, quæ concedenda non cenſuit Concilium, eò quòd præcipuè S. Leontius talia ſibi non vindicaſſet. Unde è Patribus plures haud dubie in Fauſtum & Monachos propenſiores, hac unicâ, ſed in ſpecie probabili ratione, Theodori poſtulatis modum ponere ſibi propoſuerunt; tanta enim Leontij Sanctitas tamque celebratus ejus prudentiæ rumor, ut nil Theodoro ingratum ſe facturos arbitrati ſint, ſi ejus Sedis prærogativas ad Sanctæ memoriæ deceſſoris normam contraherent. Hoc tamen haudquaquam auſi fuiſſent tanti Præſules, ſi ad eorum aures tunc perveniſſet lex in Concilio Calchedonenſi generali can. IV. promulgata, qua omnimoda in Monachos juriſdictio, ad Epiſcopos in quorum territoriis Monaſteria conſtructa ſunt, declarata eſt pertinere: quæ etiam noſtram de hujuſce noſtri Concilij circa an. CCCCL. collocatâ epochâ ſententiam mirificè roborant. Si enim Theodorus Canonicæ diſciplinæ vindex acerrimus Oecumenici Concilij definitionem pro ſe tum temporis habere potuiſſet, haud dubiè cauſam ſuam tantâ auctoritate ſuffulciſſet, adverſus quam inſilire Lirinenſes, ab eâ Patres, vel tranſverſum unguem, diſcedere temerarium prorſus fuiſſet, atque ſchiſmaticum. Sed, ut ſciunt omnes, Calchedonenſis ſynodus hoc eodem anno decurrentis ſæculi quinquageſimo primo celebrata eſt. Et ſi vel inſequenti anno, quo ejus definitionum notitia Occidentales latere non poterat, coactum fuiſſet Arelatenſe Concilium, incunctantèr tantæ auctoritatis decretis adhæſiſſent, ut certè præſtiterunt in ſuis ſubſequentibus Synodicis Comitiis. Quò enim res ſit ſuo lumine manifeſta, non pigebit oſtendere, quomodo

ſe ipſi Præſules Arelatenſis Provinciæ, poſt præfatæ Oecumenicæ Synodi præſcripta, circa Monaſticæ diſciplinæ cognitionem geſſerint. Qui prior ſe offert Arelatenſis Provinciæ PP. Conſeſſus, haud dubiè eſt Agathenſis ſub Cæſario an. DVI. cujus canon XXVII. ſi non iiſdem verbis, eodem planè ſenſu, ſupracitatam Calchedonenſis Concilij can. IV. ſanctionem ex parte repræſentat. Quod explicatiùs ſubſequens Arelatenſe Concilium V. vulgò dictum an. DLIV. ſtatuit, dum omnem indefinitè in Monaſteria, Monachos atque Abbates, locorum Epiſcopis, juxta ejuſdem ſacræ Oecumenicæ Synodi placita, auctoritatem permittit. Atque haud ſcio an in hocce Concilio Arelatenſi V. ad iſtud noſtrum Patres intenderint; dùm in illius præfatione, *antiquis Canonibus pauca, pro eorum ordinatû, ſe ſubjungere velle teſtantur*: ut nimirùm in hoc poſteriori conſeſſu, ampliare, & ad Calchedonenſis conſtituta regulare voluiſſent, quæ fuerant aliàs plus æquo contracta. Sanè ab hac interpretatione non citò diſcrepabit, recedetve, qui ſeptem tantùm canones in hac Synodo prolatos eſſe animadverterit, quorum tres præcipui, II. ſcilicet III. & V. circa hanc materiam verſantur, tantùmque in ſingulis, Epiſcoporum in rem Monaſticam auctoritas propagata fuit, ut *can. tertio* ipſis *Abbatibus longiùs à Monaſterio vagari, ſine Epiſcopi permiſſione* prohibitum fuerit, quos etiam, ſi ſecus fecerint, *juxta antiquos Canones ab Epiſcopo ſuo regulariter corrigi* præceperint. Per antiquos autem Canones, certiſſimum eſt, haudquaquam alios quàm Calchedonenſes hic deſignari: nam Canon IV. totus in eo eſt, ut *circumcurſantes in Urbibus Monachi ab Epiſcopis* coerceantur, aliique *propria Monaſteria relinquere non poſſint, niſi quandoque à Civitatis Epiſcopo eis permiſſum fuerit.* Quod ſi tùnc, Calchedonenſem Sanctionem hanc innovare voluerunt Provinciales Epiſcopi, probabiliter quæ antea, in noſtro hoc Concilio in cauſa Fauſti, à paucioribus Epiſcopis ordinata fuerant, ſupplere & in legitimum Pontificiæ juriſdictionis uſum extendere in hoc ampliori conſeſſu, mens & ſcopus illorum fuit. Quò maximè, quæ Concilij iſtius præfationem claudunt videntur adducere, ubi enim ſe quædam *antiquis Canonibus ſubjungere* velle propoſuere PP. hæc continentèr adjiciunt, *quibus hoc roboris magis eſſe credidimus, quod à pluribus, charitate interveniente, conſentientibus pronâ voluntate firmatum eſt.* Per ea enim inſinuare videntur, velle ſe in hoc Epiſcoporum undeviginti (totidem enim per ſe vel per vicarios ſuos præſentes fuere) numeroſo cœtu ea, meliori ſententiâ immutare, quæ antea, à tredecim duntaxat Epiſcopis in peculiari causâ ad pacem & caritatem redintegrandam conſentanea judicata fuerant. Certè Expectatus noſter ſeu Spectatus ſolertiæ ſingularis Epiſcopus, (ut plura, quæ ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ robur præſtitit, fidem faciunt) huic V. Arelatenſi Concilio inter primarios ſubſcripſit, aliique magni nominis Epiſcopi interfuere, qui Sanctæ & univerſalis Synodi conſtituta pro officij ratione debitæ executioni mandare non omiſiſſe, cenſendi ſunt; adeoque quæ fuerunt in Lirinenſium gratiam indulta, ſarta tecta, omni ex parte, ſaltem à tempore ordinationis hujuſce Concilij, permanſiſſe vix quiſquam crediderit. Nam utriuſque conſtituta ſibi invicem adverſantur, & nulla pro Lirinenſi Monaſterio apponitur exceptio. Porrò & crebra fuere deinceps exempla, quibus Monaſtica privilegia juxta Concilij Calchedonenſis definitiones diſcuſſa fuerunt, ut ex Anſani Concilij judicio inferiùs annotabitur. Quo etiam anterius eſt, quod ſub HLudovico Imperatore in Cariſiaco Palatio celebratum fuit an. DCCCXXXVIII. ubi rurſus prætenſa exemptio à Monachis vagis & indiſciplinatis Monaſterii S. Carilephi in Diœceſi Cenomanenſi, uti ſuppoſititia proſcripta fuit ab Epiſcopis, qui *præceperunt afferre Canones* (verba ſunt inſtrumenti ſuper eo confecti) *è quibus in præſentiâ omnium in plenaria Synodo relecta eſt ſententia Concilij Calchedonenſis de Clericis qui præſunt Ptochiis vel Monaſteriis Capitulum VIII. continens hæc: Clerici qui præficiuntur, &c.* refertur integrè Canon ille, moxque ſubjungitur: *perlecta autem hac ſententiâ iterum interrogati ſunt Monachi, ſi adhuc eſſent ita inobedientes ut priùs. Illi verò in eadem pertinacia permanentes, tunc judicio omnium Epiſcoporum & univerſalis S. Concilij ſecundum hanc ſententiam ab omnibus Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus excluſi ſunt ab omni Sacerdotali catalogo & communione .... Tum ergo ab omnibus Epiſcopis & reliquis Dei ſervis, ſive à generali conventu judicatum eſt, ut reciperet præfatus Aldricus ſuos Monachos, & faceret ex eis quidquid ei libitum fuerit, &c.* Hæc aliaque præfatum Concilium, cui ex noſtris interfuit Notho Arelatenſis Archiepiſcopus & Provinciæ Primas. Porrò & eorum actorum notitiam nunc primùm eruimus *ex tom. III. Miſcellaneor.* D. Steph. Baluzij viri literatiſſimi, ſuoque nomine ſatis noti, cui quippe & Reſpub. literaria multa debere gloriatur, majoraque etiam debebit in poſterum.

45. *Clerici atque Altaris miniſtri.*] Egregiè hic Clerici ab Altaris miniſtris ſecernuntur, prioribus namque ad Altaris miniſterium accedere prohibitum: quippe qui ſolum diſcreti à populo, & in ſortem Domini vocati delecti ſunt, ut emenſis militiæ ſacræ gradibus, ad ſuperiora, pro meritorum ratione progrediantur.

46. *Non niſi ab ipſo.*] Nunc ſolùm ad Pontificia jura ventum eſt, inter quæ primum momento

& ordine illud cenſetur : *ut Clerici atque Altaris miniſtri non niſi ab ipſo* (nempe Theodoro Diœceſano) *ordinentur.* In quo certè antiquiorum Canonum diſciplinam ſecuti ſunt, cujus ſummam in miniſtrorum delectu & ordinatione poſitam eſſe omnis ætas ab Apoſtolis ad nos uſque profeſſa eſt. Unde qui ſub eorum nomine circunferuntur Canones, Epiſcopum veluti *inquietudinis magiſtrum* communione privandum cenſent, qui alienos Clericos ſuſceperit *Can. XVI.* Cui prima Nicæna Synodus inhærens eodem *Can. ſuo XVI.* explicatiùs præcipit, quod *ſi quis miniſtrum, ad alium pertinentem audacter invadere, & in ſuâ Eccleſiâ ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo, à quo diceſſit is, qui regulæ mancipatur, ordinatio hujuſcemodi irrita comprobetur.* Notæ ſunt quæ antehac inter Demetrium Alexandrinum, Theoctiſtum Cæſareenſem, & Alexandrum Hieroſolymitanum in causâ ordinationis Origenis, quem Presbyterum creaverat Hieroſolymitanus, Alexandrini injuria, quod ejus Eccleſiæ Lector eſſet; notæ, inquam, ſunt illorum controverſiæ, quæ ſuo rumore Catholicum Orbem repleverant. Nam ut autor eſt S. Hieronymus *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: Demetrius tantâ debacchatus dicitur inſaniâ, ut per totum mundum, ſuper hujus nomine ſcriberet.* Tantùm ſingularis innataque Diœceſano Epiſcopo judicata facultas, proprios Clericos ordinandi! Non abſimilis fuit Epigonii in Concilio Carthaginenſi III. *Can. XLIV.* adverſus Julianum querela, quem apud Patres temeritatis & audaciæ poſtulat, quòd Lectorem ſuum ordinaſſet: quam rem ipſi, cùm iniquè & indignè factam judicaſſent, ſtatuerunt ut niſi Julianus errorem corrigens, miniſtrum *plebi e qua fuerat abductus revocaret; contumaciâ ſua, ſeparatus ab illis, judicium exciperet.* Occurrunt innumera in hujus conſtitutionis robur, quæ conſultò brevitati conſulentes prætermittimus. Illud ſolum monere mihi eſt, quod ſi tàm è re eſſe Majoribus viſum fuerit, ut à proprio Antiſtite Clerici ordinarentur, non minor erga Monachorum delectum adhibenda fuit diligentia: cum enim pauci, iique meliores & probatiores ad miniſterium aſſumerentur, quòd horum primitus oficia, ab illis Clericorum omnino diſcreta reputarentur, maturo judicio examinanda erat promovendorum indoles, quæ ſæpiùs ob Monaſticen in juventæ flore ſuſceptam, inexplorata, externa compoſitione, incautum decipere poterat. Unde illud monſtroſum planè, in utriuſque profeſſionis contumeliam eveniebat, ut fieret è bono Monacho malus Clericus, quod ſua ætate maximo mœrore expertus eſt S. Auguſtinus, ut disertè teſtatur *Epiſt. LXXVI. nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam Monachos ſurrigamus, & tàm gravi contumeliâ Clericos dignos putemus, in quorum numero ſumus, cùm aliquando etiam bonus monachus vix bonum Clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamen deſit inſtructio neceſſaria, aut perſonæ regularis integritas.* In hæc omnia igitur judicij trutinam conferre Epiſcopum oportebat, nè citò manu illi impoſitâ, quem aliis virtutibus, ad ſuimet cuſtodiam neceſſariis, præfulgentem obſervaverat, eundem poſtea vel in myſteriorum diſpenſatione, vel in aliorum regimine deſidem, vel inhabilem deprehenderet. Pro quibus conſulendus etiam S. Chryſoſtomus *lib. VI de Sacerdotio* & alibi paſſim.

47. *Vel cui ipſe injunxerit.*] Parum fuiſſet Clericos, vel Monachos ad ordinationem, ab proprio Epiſcopo recipiendam adegiſſe, ſi ipſo vel decumbente ex infirmitate, vel aliis negotiis præpedito, potuiſſent initiandi citra ejus facultatem ad alium accedere. Vult igitur Synodus ut Diœceſanus ſacros ordines per ſe non adminiſtrans, id oficij, cui ex Collegis placuerit, committat; ad quem teneantur Monachi ſe ſiſtere. Hinc dimiſſorialium, quas nunc vocamus, literarum etiam in Monachos Regulareſque uſus & obſervantia. Antiquior tamen hæc erat diſciplina, Patres ſiquidem Carthaginenſis Concilij V. vulgo dicti *an. CCCXCVIII.* ſtatuerant *can. XIII. ut ſi quis de alterius Monaſterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluiſſet, vel in ſuo Monaſterio majorem Monaſterij conſtituere, Epiſcopus hujus rei conſcius à cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantùm plebis communione contentus eſſet, & ille neque Clericus neque præpoſitus* perſeveraret. Epiſcopis igitur liberum non erat, etiam alterius domicilij Monachum ordinare, imò nec in ſua Diœceſi ſuſcipere. Cujus laudabilis conſuetudinis inſigne habetur exemplum apud Ferrandum auctorem *vitæ S. Fulgentij* Ruſpenſis Epiſcopi: iſte enim cum humiliationis ſingulari ſtudio, relicto cui præſidebat Monaſterio, ad aliud in quo inferior obtemperaret confugiſſet, Fauſti Diœceſani Epiſcopi auctoritate (cujus patrocinium, illius Monachi enixius imploraverant) derelictum, ſe inconſulto, moderamen rurſus capeſſere coactus fuit; nève in poſterum ſimilia tentare cogitaret, ab eodem Epiſcopo Presbyteratus oficio illigatus fuit: *Tunc autem* (inquit Ferrandus Diaconus) *Abbatis Felicis & omnium quos relinquerat dolor, ex neceſſitate conſilium inveniens, patrocinio S. Fauſti Epiſcopi inſulanos Monachos pulſat. Ille protinus Epiſcopali auctoritate ſuum eſſe Monachum Fulgentium allegat, ſibique eum reddi, & ubi ipſe juſſerit vivere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus*, &c. *Et ne iterum à deſiderio ſpiritali mutabilis fieret, repente eum Sacerdos conſecrat Presbyterum: ut Abbatis & Presbyteri decoratus officio*

officio; nec Monaſterium relinquere, nec in aliâ Eccleſiâ poſſet ordinari. Vinctus igitur, & honoris compedibus vinctus B. Fulgentius æquanimiter Monaſterium rexit. Ex quo facto colligit Illuſt. Haitlerius in ſuis *ad Ordinationes Cleri Gallicani Commentariis, ad Artic. XVI tantùm abeſſe ut Monachi olim liberiores fuerint, quin imò eo titulo magis addicti eſſent ſuo Epiſcopo*: Et quidem, ut proſequitur: *conſtat antiquitus etiam alienæ originis homines ſolitos fuiſſe ab Epiſcopis ubique ordinari, ſed non ſimiliter Monachos; qui de uno Monaſterio tranſire ad aliud ſine Epiſcopi ſui commendatione & conſenſu vix poterant.* Sed & ex eo aliiſque edocemur inſuper aut nullam, aut exiguam loci originis rationem tunc habitam fuiſſe, cujus ſolùm à temporibus Bonifacij octavi autoritas apud Canoniſtas invalere cœpit, cum antiquitus domicilij Epiſcopus proprius & ordinarius cenſeretur. Quod etiam confirmat adductum ſuperius Epigonij factum, neque enim ille ſuæ Diœceſeos, ab origine miniſtrum ſibi vendicabat, qui ex adverſo, ſe confitente, uti Civis Vſſaritanus à ſuo fuerat Epiſcopo ad Diaconatum promotus: ſed injuriam in eo ſibi factam cauſabatur Epigonius, quòd miniſter ille, à longo tempore in Diœceſi commoratus, & vitæ exigente merito Eccleſiæ ſuæ Lector ordinatus, hoc duplici nexu ita Diœceſi deveniſſet adſtrictus, ut ab alio etiam originis Epiſcopo ordinari non potuiſſet. Quod, ut notavimus, tàm à Synodo laudatum, quàm Juliani molitio iniqua & indigna declarata fuit. Hâc etiam cenſurâ perſtricta eſt, quæ poſt annos ſexcentos circiter, ab Epiſcopo Gallicano tentata fuerat adverſus diſciplinam infractio, in gratiam Monachorum, inſigniſque Abbatis, cui etiam Lirinenſis Cœnobij præfectura commiſſa erat. Fuere illi: Burchardus Viennenſis Antiſtes & Odilo Cluniacenſis Abbas. Cum autem ille circa *an.* M X X I V. proprij Abbatis rogatû, quoſdam Monachos in Cluniacenſi Sacello ordinaſſet, ab Gauſleno Matiſconenſi Diœceſano in judicium vocatus fuit, in Concilio apud Anſam non longè à Lugdunenſi Civitate: ubi etiamſi factum excuſare niteretur Burchardus, eò quòd ad Sancti Odilonis Abbatis, in conſeſſu præſentis, & Romanæ Eccleſiæ privilegio ad hoc communiti, petitionem, Monachis ipſius manus impoſuiſſet; attamen quia antiquorum Canonum auctoritati, tàm facinus quam privilegium adverſabantur, temerarium judicavere Patres Viennenſis exceſſum; quod & ratione convictus agnoſcens ipſe, ſatisfactionis loco, quædam in Matiſconenſis Eccleſiæ, cujus jura calcaverat, commodum præſtare quoad viveret, oblata etiam fidejuſſione promiſit. Notatû digniſſima ſunt Concilij verba, quorum ideo, quæ ad finem leguntur ſubjicere, jucundum fore lectori putamus. *Relegentes ergo Sancti Calchedonenſis, & plurimorum authenticorum Conciliorum ſententias quibus præcipitur, qualiter per unamquamque regionem Abbates & Monachi proprio ſubeſſe debeant Epiſcopo, & ne Epiſcopus in parochia alterius audeat ordinationes, vel conſecrationes abſque licentiâ ipſius Epiſcopi facere: decreverunt chartam non eſſe ratam, quæ canonicis non ſolum non concordaret, ſed etiam contrairet ſententiis. Adjudicaverunt quoque Domnum Abbatem non poſſe exiſtere Archiepiſcopo legitimum auctorem canonica defenſionis: unde prædictus Archiepiſcopus ratione convictus, petens veniam à Gauſleno Epiſcopo, loco ſatiſfactionis firmavit, per quales ipſe voluit fidejuſſores, ut unoquoque anno quandiu ambo viverent, tempore quadrageſimæ ſufficientiam olei de olivis ad conficiendum Chriſma, ipſi perſolveret ſine negligentiâ.* Hactenus Anſani Concilij definitio, in qua quidem Patres de Romani privilegij æquitate, vel obreptione ſecundum regulas ab illius Sedis Pontificibus præſcriptas dijudicarunt, quod, videlicet, *ab Apoſtolica ſede non diriguntur* (ut ait Zacharias *Epiſt. I. ad Bonifac.*) *quæ contraria eſſe Patrum ſive Canonum inſtitutis inveniuntur.* Et quidem quod ad Ordinationem miniſtrorum ſpectat, ſucceſſentibus, quantumlibet Monachorum privilegiis, hæc tamen de ſtylo à Sede Romanâ appoſita eſt clauſula: *Ordinationes Clericorum qui ad ſacros ordines promovendi fuerint, à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam Sedis Apoſtolicæ habuerit, & abſque pecunia vel exactione aliqua vobis voluerit exhibere.* Hæc apponi ſolita in exemptionum diplomatis exceptio, quam prorſus obſervavimus ſpecialiter, in omnibus privilegiis, quæ Eccleſiæ ejuſce Diœceſeos exemptionem olim prætendentes exhibuerunt, in curſu Epiſcopalium viſitationum, quibus interfui, ut aïunt, in comitatû. Indeque quiſque videre & colligere poterit, an Decani, Præpoſiti, eorumque vicarij Formatas literas, ſeu Dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos *à quocunque maluerint Epiſcopo* impartiri potuerint, quando hæc ipſa privilegia contrarium ex integro præferunt & Clericorum ordinationem Epiſcopo reſervant. Itaque antiqua illa, aliaque ſimilia umbratilis libertatis documenta (ſi tamen germana ſunt) haudquaquam plerumque aliud tribuunt, declarantque, quàm protectionem quandam Collegiis & Capitulis ab Apoſtolicâ Sede conceſſam. Scitum autem inter jus exemptionis & protectionis, multùm diſcriminis intercedere: & Papa quidem quamlibet Eccleſiam in ſuæ protectionis gratiâ ſuſcipere, quia nulli injuriam irrogat; in libertatem autem Eccleſiam alteri immediatè

ſubjectam vindictæ haud ſemper poteſt, quia ſuperiori præjudicium infert, quem inculpatum & inauditum jure ſuo ſpoliare nefas, & à Sede Apoſtolica, citra obreptionis & ſubreptionis vitium, obtinere inconſuetum. Quæ expreſſa ſæpiuſque inculcata Romanorum Pontificum exceptio eſt, & inter eos Alexandri III. in collectione Ant. Auguſtini, ubi hæc ait: *ſicut Iuſtitias noſtras à fratribus noſtris & Coepiſcopis noſtris volumus reſervari, ita eorum jura nos illibata convenit cuſtodire.* Cujus quidem Pontificis verba libentiùs adduximus, tùm eò quòd ſuppreſſa fuerint in Gregoriana compilatione, tum quod ipſemet Alexander apertè hanc diſtinctionem protectionis à libertate, (juxta ea quæ annotavimus) ſtatuat *cap. Recepimus VIII. de Privilegiis*; in quam ita omnino animadvertit Gloſſa: *licet Papa recipiat aliquos ſub ſua protectione, non ſunt propterea ſubtracti à juriſdictione Epiſcoporum, &c.* Moxque ad hoc quæſitum: *Quid ergo confert talis protectio?* ſubditur: *Certè parum, ſicut parum valet confirmatio: in formâ communi tamen aliqua reverentia plus debetur illis & fortè citiùs Papa movetur pro eis, cùm injuſtè gravantur, ad litteras concedendas.* Ita Gloſſa & poſteri omnes Gloſſatores de hac protectionis prærogativâ ſentiunt: quod notat Barboſa *in Collectan. in lib. V. Decretal. eod. cap. num. VII.* teſtans ex Andr. *Gail*, aliiſque *communem eſſe omnium ſcribentium ſententiam.* Parum igitur conferunt hujuſcemodi protectionum prærogativæ! parum omninò, quæ utique ad tam levem gratiam referuntur: Et tamen vix aliud complectuntur, quotquot fermè in antiquis membranis oſtentantur privilegia (Eccleſiarum intelligo, nam Monaſteriorum alia eſt ratio) quæ proindè ad amuſſim examinata, nil aliud habent præter umbram & vetuſtatem. Unde & minùs mirum videri debet, ſi hoc ævo tot fuerint exſufflata in celeberrimo & nunquam ſatis pro dignitate laudato Pariſienſi Senatu, id potiſſimum ex officij ratione promovente viro incomparabili D. Dionyſio *Talon* primario Catholico Advocato, qui ob ſtupendam eruditionem, ſtudiumque in Hierarchici Ordinis decus & incrementum, ab omni ætate commendandum, quaſi totius Eccleſiaſtici juris Sacerdos ſpectari, ſuſcipi, celebrari & coli debet, cuique adeo & plures florentiſſimi Regni inſignes Eccleſiæ, vel de reſtitutis poſtliminio ſuis primævis juribus, vel ſervatis, æternùm obſtrictæ erunt.

48. *Chriſma.*] Vetus etiam Eccleſiæ diſciplina fuit, ut Chriſma quod in unaquaque Diœceſi ſolùm ab Epiſcopo confici poterat, ab eo etiam duntaxat acciperetur. Extat de eo apud Gratian. *de conſecr. d. IV.* Concilii Valentini I decretum, & de more in privilegiorum chartis à Romanis vel Ordinariis Epiſcopis conceſſis, hæc de Chriſmate à Diœceſano petendo fiebat reſervatio. Ita Landericus Pariſienſis Epiſcopus in inſtrumento privilegii attributi San-Dionyſiano Monaſterio: *reſervato Chriſmate & oleo ab Epiſcopatu Pariſienſi petendo.* A quo conſtituto, cum poſtea privilegiorum poſteriorum obtentu, ſe ſolviſſent ipſi Monachi, Chriſmaque & ordines ab alio quàm à Diœceſano acciperent, graviter à Paſchali II. increpiti fuere ſpeciali diplomate, quod refert Quercetanus tom. IV. ubi hæc ſingularia habentur: *Et quidem privilegia pro pravis & malis collata ſunt, & ad ædificationem, non ad Canonum deſtructionem alicui conferuntur, &c.*

49. *Neophyti.*] Varias habet ſignificationes vox iſta: aliquando enim Neophyti dicuntur Novitij Clerici, recenſque ex laïcorum vel etiam Monachorum ordine in Clerum adſcripti; De his enim intelligi debere videtur *Can. XIII. Concil. Sardic.* In quo hæc habentur: *nam nec conveniens eſt, nec ratio, nec diſciplina patitur, ut temerè aut leviter ordinetur, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt. Maximè cum Beatiſſimus Apoſtolus ne hoc fieret denunciaſſe & prohibuiſſe videatur, ſed hi quorum per longum tempus examinata ſit vita & merita fuerint comprobata.* Quem etiam in ſenſum, Hincmarus Rhemenſis *ad Clerum & plebem Bellovac. Neminem ex Laicis Neophytum, id eſt, noviter attonſum ad Eccleſiaſticos gradus provectum, Epiſcopum eligi* ordinat. Neophyti etiam, novitij in Monaſteriis dicuntur, quorum ſæpè meminit Ordericus Vitalis apud Quercetanum: ita enim *lib. VI. Novitiorum copiam Monachali normæ mancipavit, Neophytiſque optimos ritus rigidæ converſationis tradidit*, & *lib. VIII. modernas inſtitutiones Neophytorum* (Monachorum) commemorat. Sed in hac Arelatenſis Concilij inſtitutione (quidquid alij divinare velint) Neophyti de quibus hic mentio, neque pro recenter inſtitutis Clericis, nec pro novitiis Monachis intelligi debent. Vacuus ſiquidem eſſet ſenſus, ut Clerici ab Epiſcopo confirmarentur, in quos omnimoda à Patribus Theodoro ſervata eſt juriſdictio: Monachi autem ex integro Abbati ſubjecti fuerant, quandoquidem in illa laïca multitudine cenſebantur, quam ad ſolam, ac liberam Abbatis diſpoſitionem pertinere debere cenſuit Synodus; unde nec neceſſe habebant illi in ſanctâ profeſſione ab Epiſcopo confirmari, ſed ab Abbate. Genuina itaque interpretatio erit, ut hic Neophyti generaliter novelli & rudes adhuc in fide, ob noviſſimè receptum baptiſma, intelligantur, non autem præciſè novelli Chriſtiani è Judæis facti, qui in hac præcipuè Provinciâ noſtrâ, hoc ſolo Neophytorum nomine deſignantur.

Hanc explicationem non modò probabiliorem, ſed neceſſariam penè reddit anterioris Concilij Reienſis noſtri *Can. IV.* quo, Armentario Ebredunenſi etſi depoſito indultum fuit: *Benedicere, & ea una eademque familiâ Neophytos confirmare in caſtellis & vicis.* Similia habet *Can. V.* licet paulo obſcurior ſit. In his ſiquidem apertè Neophyti dicuntur, rudes adhuc in fide & nondum perfecti Chriſtiani, qui utique nondum ſacramentum Confirmationis acceperant: Nec alior deſignare voluerunt in hoc Concilio, poſt annos XL. in eadem Provinciâ habito, Patres Arelatenſes, quorum etiam aliqui Reienſis prioris Concilij ſanctiones condiderant. Quæ etiam clariora fiunt ex ſequentibus.

50. *Confirmentur.*] Lirinenſis Inſula de ſæculi procelloſo mari enatantibus fida & aperta ſtatio tunc evaſerat. Ex iis autem, qui ad tam ſacrum aſylum majori ambitu confugiebant: hi erant haud dubie recens baptiſati, qui ſacro regenerationis lavacro, in Dei filiorum adoptionem adſciti, pretioſam & candidam veſtem, quam acceperant, ante tribunal Domini deferre, citra ullam ſordium reſperſionem, maximo ſtudio ſatagere debebant. Atque neophytorum iſtorum confirmatio proprio eorum Epiſcopo reſervatur, quod ſit veluti ſigillum Dominicum, ut Patres loquuntur, quo completur Baptiſmus & baptizati Chriſtiani perfecti cenſentur, ſeu (ut habet noſtrum Sacramentale Forojul. vetuſtiſſimum) *quia conſummatio perfecta Chriſtianitatis eſt.* Mos autem fuerat in Neophytos, nondum Chriſmate unctos, majori diligentia invigilare: unde & de Antiſtite illo, cui, adoleſcentuli cujuſdam curam commiſerat S. Joannes Evangeliſta, teſte Euſebio *lib. III. cap. XVII.* dicitur, quod ubi ſigillo Domini tanquam perfectâ tutaque cuſtodiâ eum obſignavit, nonnihil de cura & obſervatione in eo cuſtodiendo remiſit: quòd ſcilicet in ſacramento illo, vim illam perficientem, novumque robur inuncto accedere, ad fidei depoſitum conſervandum, omnes agnoſcerent.

51. *Peregrini Clerici.*] Ab initio Clericis interdictum Parœciam ſuam citra Epiſcopi conſcientiam deſerere: hoc prohibet *can. XV.* ex his qui Apoſtolis tribuuntur, cui adſtipulatur *can. XVI.* Concilii Nicæni, hiſque expreſſius Concilium Laodicenum *can. XLII.* in hæc verba: *non oportet Sacerdotem vel Clericum præter juſſionem Epiſcopi ad peregrinandum proficiſci.* In eundem ſenſum ſequentia Concilia convenere, quibus Tridentinum de more concinit *ſeſſ. XXII. cap. XVI.* Sicut igitur Clericis, abſque literis Epiſcopi teſtimonialibus, quas etiam, generaliori nomine, antiqui *formatas* dixere, peregrinari nefas; ita & illis, eos vel ad communionem, vel ad miniſterium recipere illicitum. Porrò illud teſtimonialium literarum examen ad Pontificum auctoritatem ſpectabat, quippe qui ob crebra cum Collegis commercia, qui in Eccleſiæ communione perſiſterent, qui ab eâ alieni facti fuiſſent, optimè norant: adeoque & illis in promptu ſuppoſititias literas à legitimis ſecernere, cùm præcipuè formatæ illæ literæ (indè haud dubie dictæ, quod Epiſcopalis ſigilli forma in iis impreſſa fuiſſet, ut colligere eſt *ex epiſtol. Chlodovæi Regis ad Epiſcopos ſui regni, tom. IV. Concil.* aliiſque innumeris) quibuſdam ſymbolicis characteribus conſcriberentur, prout à Patribus ſecretò in Conciliis determinabantur, ad Nicænorum exemplum, qui certis literis, ſigniſque communicatorias literas obſignari præſcripſerant, ne Ariani dolo malo in Catholicorum communionem recipi poſſent. De quibus fusè Baronius *ad an Chriſti CCCXXV.*

52. *Omnis laica multitudo.*] Eorum ſcilicet qui nondum ſacris ordinibus adſtricti erant. Illi enim ſolenni religionis voto, congregationi ſpecialiùs addicti & eius qui præerat curæ ſubditi cenſebantur. Diſtinguit quippe eos à Clericis & Sacerdotibus, & alterum alteri opponit: quemadmodum Salvianus noſter *lib. 1. de Gubernatione Dei, ut omnes laici intelligerent* (inquit) *quantum iram Dei timere debeant, cum à præſenti pœnâ filios ſacerdotis, nec meritum parentis eriperet.*

53. *Ex illâ*] Ex illâ utique laica multitudine, quæ cum Fauſti Abbatis curæ omnimodis commiſſa eſſet, abſque robore fuiſſet, Patrum cauſæ ejus patrocinantium ordinatio, ſi vel Theodoro liberum fuiſſet quos vellet ad miniſterium promovere, vel Monachis indultum ad Clericatus honorem (quo eos multum titillari alicubi notavit S. Hieronymus) citra Abbatis conſcientiam, vota convertere: cùm enim ad ordines promoti fuerant, juris fiebant Epiſcopi, ut infra videbitur. Quapropter hæc ſubjecta ſunt:

54. *Niſi Abbate petente.*] Collocarunt in eo Cœnobiarchæ Monaſticæ diſciplinæ vim & ſplendorem, ut ij duntaxat Monachi ad Eccleſiæ miniſteria proveherentur, quos ipſi Abbates delegiſſent. Si enim Monachis ad illa patuiſſet indiſcriminatim aditus, non diù ſanctis numeroſiſque catervis Monaſteria floruiſſent. Unde & ipſum Clericatus deſiderium ab eorum cogitatione depellere totis ſtudiis Patres certaverunt; notatque Metaphraſtes S. Pachomio familiare fuiſſe inculcare: *eſſe admodum bonum & valde utile Monachis, non quærere honorem vel principatum vel gloriam, principatumque amittentis ſunt Cleri cogitationem, ſi inciderit in Monachos, nec citò extinguatur, facile corrumpere univerſum*

laborem exercitationis. Caſſianus autem *lib. XI. inſtitut.* qui eſt *de ſpiritu Cenodoxiæ*, crebro Eccleſiaſtici gradus ambitum Monachos pulſaſſe advertit, his verbis: *Nonnunquam verò Clericatus gradum, & deſiderium Presbyterij, vel Diaconatus immittit.* (cenodoxia) *Quem ſi vel invitus fuiſſet adeptus, tanta expleturum ſanctitate ac rigore depingit, ut cæteris quoque Sacerdotibus, præbere potuerit ſanctitatis exempla: dein multos non ſolum converſationis formâ, verum etiam doctrinâ ſuâ, ſermoneque lucraturum. Facit etiam in ſolitudine, vel in cellula commorantem, diverſorum domos ac monaſteria circumire & plurimorum converſiones, ſub incitamento imaginaria exhortationis acquirere.* Hæc Caſſianus *cap. XIV.* Sed lepidum prorſus quod *ſequenti cap.* refert cujuſdam Monachi deliramentum, qui ſolus intra ſepta cubiculi Sacra faciens, à quodam ſeniorum eſt deprehenſus. Hanc autem narrationem quam lectori jucundam fore putamus, ex ipſis Caſſiani verbis integram ſubjicimus. *Memini* (inquit) *cujuſdam ſenis cùm in eremo Scythia commoraretur: qui cum ad cellam cujuſdam fratris, gratiâ viſitationis adveniens oſtio approximaſſet, audiſſetque eum quidquam obmurmurantem intrinſecùs, paullulùm ſubſtitit, cognoſcere volens quidnam de Scripturis legeret, vel, ſicut eſt moris, operans memoriter recenſeret. Cùmque piiſſimus explorator, aure diligenter applicita, curioſiùs auſcultaret: ita eum reperit hujus ſpiritus impugnatione pellectum, ut in Eccleſiâ facere ſe crederet exhortatorium plebi ſermonem. Cumque ſubſiſtens ſenex audiſſet eum finiſſe tractatum, & mutato rurſum Officio, celebrare velut Diaconum Cathecumenis Miſſam, tunc demùm pulſavit oſtium: Qui egreſſus, occurrenſque Seni veneratione ſolitâ, introducenſque eum, quàm olim venerit, cogitationum ſuarum conſcientiâ remordente, perquirit, ne ſcilicet diutiùs ſtans ad oſtium, injuriam pertuliſſet; joculariter ſenex gratèque reſpondit: modò, inquiens, veni, quando tu Miſſam Cathecumenis celebrabas.* Inde Caſſianus, in cujus ſenioris perſonâ loquitur, prolixiorem tractatum, hâc Patrum ut habet, permanente hucuſque ſententiâ, claudit: *Monachis Epiſcopos perinde ac mulieres eſſe vitandos*; quòd ſcilicet non magis ex mulierum conſuetudine ad libidinem, quàm ex Præſulum familiaritate ad cenodoxiam & Clericatus deſideria provocarentur: Porrò adverſus nimiam illam Eccleſiaſticorum munerum appetentiam ſufficiens convenienſque erat repagulum, quæ præire debebat Abbatum petitio: ſic enim non ambitioſos, ſed humiles, non elatos, ſed intima appetentes, ad Epiſcopos, ordinationis ergò deducebant. Illud præcavit D. Benedictus *cap. LXII.* ſuæ regulæ dùm ita præfatur: *Si quis Abbas ſibi Preſbyterum aut Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit Sacerdotio fungi: Ordinatus autem caveat elationem, aut ſuperbiam.* Vult itaque præſtans ille Cœnobiarcha, ut ad Abbatis poſtulatum & electionem Monachi Ordinem accipiant: atque illis regulis Canones Eccleſiæ deinceps conſenſere. Videturque Synodi Agatenſis ſub S. Cæſario Arelatenſi, *can. XXVII.* ad hanc Concilij iſtius Arelatenſis ordinationem reſpexiſſe, quandoquidem ex ejus verbis propè conflatus eſt in hunc modum: *Si neceſſe fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum conſenſu & voluntate Abbatis, præſumat Epiſcopus.* Noſter autem: *neque Epiſcopus ex laicâ multitudine Clericum, niſi Abbate petente, præſumat.*

55 *Clerici ad ordinationem Epiſcopi.*] *Quibus verbis* (inquit) D. Hallerius *in citatis Commentariis, oſtenditur ex Monaſteriis electos ad Clericatum, ad immediatam Epiſcoporum pertinuiſſe ſubjectionem, eo modo quo laici ab Abbatibus penderent, qui ſub Abbatis proprij paterno regimine in Monaſteriis degebant.* Hæc ille. Igitur rationabilis plenaque juſtitiæ viſa tùm conſtitutio, ut Clerici ad ordinationem Epiſcopi pari ſubjectione reſpicerent, quâ laïci ex Abbatis diſpoſitione pendebant. Quæ ut planiora fiant obſervare convenit, eos qui ex Monachis ordinabantur, quin tamen monaſteriis tanquam titulo Eccleſiaſtico adſcriberentur, alicui Eccleſiæ ad Epiſcopi præſcriptum mancipatos fuiſſe, à quâ citra ipſius conſenſum diſcedere, tàm eiſdem, quàm Clericis nefas fuiſſe docet antiquæ diſciplinæ notitia: Hinc S. Paulinus Galliæ noſtræ decus ſingulare, cum poſt ſuſceptum baptiſmum ad agrum Barchinonenſem, Monaſticæ profeſſionis ergò ſeceſſiſſet, ibique repentinâ vi multitudinis, ut ait, Presbyteratu initiatus fuiſſet à Lampio Epiſcopo: *ea tamen conditione*, inquit, *conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer, in Sacerdotium tantùm Domini, non in locum Eccleſiæ dedicatus.* Hæc Paulinus *Epiſt. VI ad Severum, & Epiſt. XLV. ad Alypium.* Similia habet S. Hieronymus *Epiſt. LXI. ad Pammachium*, in quâ ſe in ordinatione ſuâ proteſtatum fuiſſe tradit: *nolle ſibi Preſbyterum tribui ut Monachus tolleretur.* Voluit itaque ordinari S. Hieronymus, non ut in Eccleſia offerret, ipſique alligatus miniſtraret, ſed ut in Monaſterio, *ſeu in agris & ſolitudinibus adoleſcentiæ peccata* (ut habet) *deflere perſeverans Chriſti miſericordiam deflecteret.* At exceptionibus iſtis ſummorum virorum intuitû factis, magis, quod aïunt, firmatur regula, quâ, de more, Monachi ad Clericatus officia aſſumpti certæ Eccleſiæ addicebantur, ut explicatiùs teſtatur idem S. Hieronymus *Epiſt. ad Ruſticum noſtrum*: *Cùm*, inquit, *ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pon-*

tifex Civitatis in Clerum elegerit, age quæ ſunt Clerici, & inter ipſos ſectare meliores. Quibus patet Clericos cùm primùm ad Clericatum promotos, quę Clericorum erant deinceps, non Monachorum inſtituta ſectatos fuiſſe; adeoque & certæ Ecleſię addictos, Diœceſano Epiſcopo motem geſſiſſe. Conſulendus etiam S. Auguſtinus *epiſt. LXXXI. ad Eudoxium Abbatem & Monachos inſulæ Capraria.* Sed nec in eandem rem pętermittendum Concilij Agathenſis conſtitutum, quod, ſub nobiliſſimo olim Monaſterii Lirinenſis Archimandrita, tùnc S. Arelàtenſis Metropoleos Epiſcopo, & ſacri Conſeſſus moderàtore promulgatum fuit, quo voluerunt Patres, ut Abbatum accedente conſenſu poſſent Epiſcopi, cùm Eccleſiæ neceſſitas illud expeteret, Monachos ad Clericale Officium provehere: ita enim *can. XXVII. Si neceſſe fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum conſenſu & voluntate Abbatis præſumat Epiſcopus.* Hic enim non agitur, niſi de Monachis Eccleſiæ indigentis miniſterio per Clericatnm addicendis, quo in caſu, voluit etiam Gregorius Papa in Concilio Romano, ut cùm Monachi abundantes eſſent ad celebrandas Dei laudes, de his qui ſupereſſent, offerret Abbas ad Clericatus officium, quos dignos noſſet; hâc tamen adhibità conditione: *ut quiſquis ex Monaſterio ad Eccleſiaſticum Ordinem perveniſſet, ulterius illic habitandi, nec poteſtatem aliquam, nec licentiam haberet.* Quod nimirum, ut prænotavimus, horum diſtincta eſſent officia, & qui erant in Monaſterio Abbatibus, qui Eccleſiæ miniſterio addicti Epiſcopis obtemperarent. Sed ex his meo judicio ſingularis Eccleſiæ Forojulienſis prærogativa conſignanda venit, quæ cum intra ſuæ ditionis limites, tanto fœcundata Lirinenſium partù foret, vel occurente neceſſitate, vel ex Abbatum devotione, vel ex ſodalium copiâ, cùm utique ad divinas laudes celebrandas abundantes eſſent, erant autem jugiter, ſola beatos illas Aſcetas ſacro miniſterio addicere poterat. Quot igitur, Deus bone, ex ea Inſula Rectores evocati? Quòt in ſuburbanis Parœciis conſtituti Paſtores? Quot Matricis Eccleſiæ Manſionarii & primarij Clerici ſelecti? Quot Epiſcopali officio humeris Angelicis formidando Coadjutores præpoſiti? Certè cum, teſte S. Cæſario, hæc eadem *præſtantiſſimos per omnes Provincias Sacerdotes erogaret*, & Maſſilienſis Eccleſiæ ſecundis etiam ſubſelliis facundiſſimum Salvianum, Vaſionenſi S. Quinnidium, Avenionenſi fortè Beatiſſimum Agricolum (Forojulienſium, ut par erat, præcedente conſenſu) dederit: quiſnam noſtros eò uſque vecordes exiſtimaverit, ut alienis Sedibus egregios omnique virtutum & literarum genere ſpectabiles miniſtros permittentes, vel pares, vel excellentiores etiam, ſi reperiri fas fuiſſet, in ſuâ non retinuerint? Quis, inquam, ſibi talia perſuaſerit? niſi cui vel ſæculi illius diſciplina florentiſſima, vel Theodori, Aſterij, Victorini, Expectati, aliorumque conſequentium Antiſtitum, pro ejuſdem inſtauratione (quæ ſemper in miniſtrorum delectu verſata fuit) variis, ad Concilia in hanc rem celebrata, legationibus ſuſcepti labores, erunt prorſus incogniti. Erant hi ſapientiſſimi Præſules, quos fatuarum virginum exemplum ulla in re ſecutos eſſe ſuſpicio eſſe nullatenus poteſt.

56. *Ad ſolam ac liberam Abbatis proprij*] Latè patens Abbatis ordinata auctoritas, quam ab antiquo non obtinuiſſe, exindeque ſenſim Regularium privilegia accreviſſe ſatis patet: iſtius namque prærogativæ conceſſione, Byſacenæ Provinciæ in Africa Monachi libertatem ſuam in Concilio Carthaginienſi ſub Bonifacio *an. DXXV.* non infeliciter tuiti ſunt, adverſus Liberatum ejuſdem Byſacenæ Provinciæ Primatem, Epiſcopalia jura in hanc Congregationem ſibi vendicantem. Exhibuit ſiquidem Petrus Abbas Synodi hujuſce noſtræ Arelatenſis exemplar, publicèque in ſecundâ ſeſſione lectitari poſtulavit, moxque à Patribus obtinuit: *Ut Monaſteria à Clericorum conditione libera forent ſibi tantùm & Deo placentia*: quæ etiam innovata fuerunt in poſteriori Concilio ſub Reparato Carthaginienſi poſt annos novem celebrato; in quo etiam cauſæ omnes Monaſticæ, tanquam majores, ad Primates remiſſæ ſunt, ex fragmento relato in I. *Tomo Analect.* viri doctiſſimi D. Jo. Mabillonii: *ſi ſcandalum perſeveraverit, ad Primates uniuſcujuſque Provinciæ univerſa cauſa Monaſteriorum judicanda perducantur.* Unde nec diffitendum, ex tunc ſaltem in Africanis regionibus, plus Monaſtica privilegia, quàm in noſtris aliiſque ampliata fuiſſe; aliquibus enim, teſte eodem Petro Abbate, indultum erat, *ut ex aliis Provinciis, etiam Tranſmarinis* (quod Adrumetinis Monachis ſingulare) *Presbyterum, vel Abbatem ſibi conſtituerent, & proprio Epiſcopo prætermiſſo, ab alio conſolationem acciperent*: quod in noſtris, omnimodis prohibitum obſervavimus. Porrò & ad Lirinenſe privilegium rurſus videtur reſpexiſſe Bertefridus Ambianenſis Epiſcopus *in charta immunitatis Monaſterij Corbeienſis an. VII.* Regni Chlotarij III. ubi hæc habet: *ne nos hoc propria deliberationis inſtituto, poſteritas æſtimet decreviſſe, cum etiam antiquiora, vel in novo tempore Monaſteria, propria privilegia ſint conſecuta. Nam & Agaunenſe, quod velut iſtud, Regio eſt munere ditatum, & Lirinenſium, vel Baſilica, &c. hoc videntur habere conceſſum.* Quibus planè ſimilia, diligens formularum collector Marculphus Monachus Bertefrido σύγχρονος repræſentat in ſuâ formulâ I. *de privilegio*, in quâ Monaſterij Li-

rinenſis, reliquis & fundatione & immunitate antiquioris primùm meminit, his verbis: *Et ne nobis aliquis detrahendo, aſtimet in id nova decernere carmina, dùm ab antiquitus, juxta conſtitutionem Pontificam per Regalem Sanctionem Monaſteria Sanctorum Lirinenſis, Agaunenſis*, &c. *ſub libertatis privilegio videntur conſiſtere.* Hæc erant, ut vides, immunitatum formularia, in quibus cùm omnium prima Lirinenſium exemptio recenſeretur, non à vero abluder, qui dixerit, ab eâ, tanquam ab vêra origine, diſpenſationes omnes emanaſſe; adeoque & Patrum Arelatenſium prolatum, rectò quidem ſine, judicium, ſed decurrentibus ſæculis (ut eſt ætas parentum pejor avis) ad laxiores interpretationes, cupiditate & dominandi deſiderio deductum, plurium in Eccleſia malorum ſeminarium excitaſſe. Sed & illud diſciplinæ excidium, alienâ prorsùs à prioribus mente, ab poſterioris ætatis Monachis attentatum, auctoribus ſuis infauſtum fuiſſe notant plerique, ex iterato etiam primæ Sedis Oraculo: Namque Hadrianus II. Sanctiſſimus Pontifex *Epiſtol. XXXIII. ad Carolum Calvum* Francorum Regem, *omne Monaſterium in poteſtate Epiſcopi debere conſiſtere* ſincerè profitetur: Et *quia*, inquit, *hoc eſt tranſgreſſum, ideo plurima Monaſteria habentur deſtructa.* Doluit mellifluus Doctor S. Bernardus, Monachorum ſelectorum parens, Abbatum infelicem ambitum, qui ſuâ maximè ætate, ſummo ſtudio exemptiones undique corrogabant, in quorum etiam damnationem hæc pronuntiavit *Epiſtol. XLII. ad Henricum Senonenſem: Certus ſum ego Monachus & Monachorum qualiſcumque Abbas, ſi mei quandòque Pontificis excutere à propriis cervicibus jugum tentavero, quod Satanæ mox tyrannidi me ipſum ſubjicio.* Hæc Bernardus. Quo plane ſenſu Fulbertus, & ipſe, ante ſuſceptum Epiſcopatum Carnotenſem, Monachus, *Epiſtola ad Iaſlin. Abbatem*, ita de hujuſcemodi privilegiis mentem ſuam aperuerat: *ego*, inquit, *neque legem, neque modum ratiocinationis invenire poſſum, qui nos ab jugo ſubjectionis abſolvat: at ſi quis alius inveniſſe fatetur, novum illum Rhetorem de Cælo magis cecidiſſe, quàm deſcendiſſe crediderim.*

57. *Quem ſibi ipſa eligerit.*] Novum etiam privilegium à Leontio, vel fortè à Concilio primùm, Congregationi Lirinenſium attributum, ut citra Forojulienſis Epiſcopi conſcientiàm, Abbatem ex ſuis poſſent deligere. Juxta quam ordinationem alterum Lirinenſis Cœnobij Columen S. Cæſarius Arelatenſis Monaſterium virginum à ſe fundatum hâc prærogativâ communivit, ex tabulis teſtamentariis, ſic enim habent. *Et hoc ſpecialiter volo, & ita, Domine Archiepiſcope, precor, ſive proviſorem ad Monaſterium, ſive Presbyterum ad Baſilicam S. Mariæ, nullum alium habeat Congregatio ſancta, niſi quem ipſa elegerit, vel ordinari petierit.* Namque rem alitèr ab initio fuiſſe in aperto eſt; ut quid enim Landericus Pariſienſis, aliique Præſules, enixis Regum Procerumque precibus, id juris Monaſteriis ſuis conceſſiſſent, ſi eos, illo antea gaudere contigiſſet! Certè dùm S. Gregorius Reſpectæ Maſſilienſis Monaſterij Abbatiſſæ ſimilem facultatem impartitur, tanquam merum liberaleque privilegium agnoſcit *Lib. VI. Epiſt. XII. Proindè*, inquit, *Monaſterio S. Caſſiani juxta petitionem filiorum noſtrorum Dynamij*, &c. *hæc privilegia prævidimus indulgeri: conſtituentes ut obeunte antedicti Monaſterij Abbatiſſa, non extranea, ſed quam Congregatio de ſua elegerit ordinetur.* Et poſt aliqua. *Præterea hanc Epiſcopo ſolicitudinem ſtatuimus adhibere, ut ſi aliquam de illic habitantibus, exigente culpâ, oportuerit ultioni ſubmitti, ipſe juxta ſacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare.* Hæc S. Pontifex. Ex quibus etiam colligere datur, hanc de eligendâ Abbatiſsâ poteſtatem factam, nunquam in reliquis Epiſcopi jura coarctaſſe, ſed potius confirmaſſe. Vnde ut plurimùm privilegia quæ tam a Romanis, quàm aliis inferioribus Epiſcopis conceſſa fuere, hæc duo ſolum complectebantur, ut nimirum Abbatem ſibi poſſent eligere Monachi: bonaque ſua, quæ olim ut Eccleſiaſtica ad Pontificis diſpenſationem ſpectabant, liberè adminiſtrarent: quod videbatur rationi & æquitati apprimè conſonum & ad pacem ſervandam neceſſarium. Sed neque ab iſtis diſcrepant, nec quid favorabilius edicunt Concilij Romani ſub Gregorio Magno, in Monaſteriorum libertatem celebrati, Conſtituta. Atque hinc cuique judicare in promptû erit, quàm immeritò Beatiſſimus Pontifex privilegiorum Monaſticorum auctor aſſeratur, qui conſtantiſſimè locis innumeris Monachorum erga Epiſcopos ſubjectionem præcipit & inculcat. Quam etiam auctoritatem ita Pontificali regimini nativam juxta ac neceſſariam eſſe profeſſus eſt, ut proprio Epiſcopo decedente, ad alienum etiam, cui ad tempus viduatam Eccleſiam committebat, Monaſteriorum curam, atque omnimodam diſpoſitionem (quod albo notandum calculo) tranſire juberet. Cuius ordinationis ſolenne exemplum præfert ejuſdem. Epiſtola *lib. V. XXI. ad Petrum Epiſcopum Hydruntinum*, cui *Brunduſij*, *Lippias*, atque *Galliopolis* Diœceſeon viſitationem injungit: *Monaſteria autem* (inquit) *ſi qua ſunt in earum Parochiis conſtituta ſub tua cura diſpoſitioneque, quouſque illic fuerit proprius Epiſcopus ordinatus, eſſe concedimus, ut ſolicitudini tuæ vigilantiâ, propoſito ſuo congrua Deo adjuvante reſpondeant.* Videnda etiam Epiſ-

ſtola *XXXIII. lib. VII. Ind. 1. ad Epiſcopum Schillitanum*, in quâ, quo zelo armatus, oppreſſionem Monachorum reprehendit, eodem Epiſcopum, ut in eorum vitam moreſque, vigilantem & animadverſionem adhibeat, hortatur. Quod eſt ſanctiſſimum conſilium & Sanctiſſimo Pontifice dignum. Si enim ad Præſulum curam tùm ſpectabat in Monachorum vitam animadvertere (quo jure etiamnum gaudent circa delicta extra clauſtra perpetrata) eorundem gloriæ intererat, ſemperque intereſſe debet Monachos adverſus injurias & oppreſſionem defendere, ut quâ *vocatione vocati ſunt, digne ambulent.* In quod, S. Leontii exemplo, ſolicitè intenderunt inſignes Epiſcopi, qui non alio fine privilegia quædam conceſſerunt, quàm ut ab omni moleſtiæ timore liberi, illi ſoli placere ſtuderent, cui ſe probaverant. Et id ſatè per multa ſæcula æquâ laude executi ſunt, & exequuntur permulti; queis adeo meritò debentur encomia, ipſæque libertates, quibus donati ſunt Abbates & Monachi illi, in Concilio II. Lemovicenſi, his verbis egregiè commendati: *Monaſteria Monachorum regularia, quia diligentiùs & nitidiùs omnia ad cultum altaris procurant, in Abbatum ſuorum arbitrio, de his, ſicut de aliis regulis permittimus. Illi enim noſtris legibus conſtringi non debent, qui ultra nos per arctam & anguſtam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui Epiſcoporum juſſis ſummoperè in omnibus obediunt*, &c. Sed in his aliiſque fortè prolixiores viſi erimus attamen dùm celebrem illam, inter Theodorum & Fauſtum, controverſiam enucleare ſuſceperam, operæ pretium erat tantæ litis cauſas inveſtigare, ejuſque originem & progreſſum tradere: tùm judicum Sedes, merita, imò & quorundam propenſionem explorare: inſuperque quibus rationibus, quibus antiquæ recentiſque Diſciplinæ monimentis, rem ſuam tueri Theodorus, tentatamque libertatem defendere potuerunt Fauſtus & Lirinenſes: Quibus ad ultimum præjudiciis litem conſopierunt Epiſcopi, & quorsùm ab eorum ordinatione aliæ libertates & exemptiones, quo damno, vel emolumento, prodierunt. Porrò & ex iiſdem ſatis innotuit, quibus gratiis & beneficiis ſuos Lirinenſes, ab ipſis incunabulis, ad poſteriora ſæcula foverit, & proſecuta ſit Forojulienſis Eccleſia tanquam mater beneficentiſſima: & quænam viciſſim ex tot tantorumque inquilinorum viciniâ, filiorumque ſubjectione, gloria & utilitas derivaverint in ſanctam & inclitam Sedem noſtram, cujus & decora manifeſtare & jura tueri, favente Numine, tentabimus, quandiu *ſpiritus hos reget artus.* Sed hic modicum immoramur, nam—

58. *Regula.*] De Lirinenſium regula fuſiùs ſupra diſſeruimus *cap. V. & VI. Diatribe de Monaſterio Lirinenſi.*

Soli Deo Honor & Gloria.

SYLLABUS AUCTORUM
QUI IN TOTO HOC OPERE CITANTUR, notantur, emendantur & illuſtrantur.

ADo Viennenſis. p. 104
A. Gellius. 15
Alardus Gazæus. 67 [68
Alcuinus. 58
Alexander III. P. 224
Aloyſius Torrellus. 194
S. Ambroſius. 108. 207
Andræas du Sauſſay *vide* Martyrol. Gallican.
Antonius Auguſtinus. 15. 224
Antonius Godæus. 215
Ant. Ruffy. 158
Apollinaris Sidonius. 10. 89. 92. & 3. 102. 110. & 11. 114. 133. 138. 151. 176. 189. 199. 217
Areudius 58
Arnald. Vvion. 212
Aſconius Pedianus. 218
S. Athanaſius. 132
S. Auguſtinus. 52. 58. 76. 82. 83. 93. 105. 123. 195. 222. 227
Authenticum Rubeum. 26. 59

BArboſa. 224
Baronius. 6. 78. 93. 94. 104 & 5. 125. 225
Barralis. 79. 72. 137. 142. 206
S. Baſilius. 40. 41. 213
S. Benedictus. 226
S. Bernardus 157. 228
Bertellus. 175. 76. 77 *uſque ad* 183
Bivarius. 54
Bollandus. 153
Bonifacius I. P. 84
Breviarium Arelatenſe. 74. 196
Aptenſe. 63
Forojulienſe. 62. 77. 86. 87. 101. 127. 151
Lirinenſe. 62. 212
Reienſe. 74. 196
S. Victoris. 63
Budæus. 218

Canones

C Anones Apoſtolorum. 222 225
Carolus *le Cointe.* 152. 154
Carolus *de Venáſque.* 158
Caſſianus. 51. 64. 72. 83. 110. 133. 186. 196. 200. 201 & 2. 225 & 26
S. Cæſarius. 74. 128. 227. 228
Cæſar Noſtradamus. 159. 160
S. Chryſoſtomus. 128. 222
Ciaconius. 161. 165
Cicero. 121. 2. 142. 218
Claud. Robertus. 95. 153
Cælius Rhodiginus. 218
Cornel. Tacitus *vide* Tacitus.
Concilia Agathenſe. 151. 221 226 & 27 Apud S. Ægidium. 155 & 56. Anſanum. 223. Aquileienſe. 8. 36. Arauſicanum I. 36. II. 84. Arelatenſe II. 217 III. vulgò dictum *à* 210 *ad* 230 IV. 151. V. 221. Auſtriæ. 8 Cabilonenſe. 152. Calchedonenſe. 210 & *ſeq.* In Cariſiaco Palatio. 221 Carthaginienſe I. 31 III. 31. 222. IV. 139. V. 222 *Item* ſub Bonifacio. 227. Sub Reparato *ibidem.* Colonienſe. 2. Forojulienſe. 4. 7. Apud Juncarias. 154 Laodicenum. 225. Lemovicenſe. 229. Nicœnum. 222. 225 Piſanum. 8. 166. Quini-Sextum. 79. Reïenſe I. 88. 225. II. 162. Romanum. 151. 154. 227. Sardicenſe 47. 224. Taurinenſe 38. 96. Toletanum III. 119. IX. 120. Tridentinum. 225. Valentinum I. 44. 45. 46. 49. 224. Utinenſe. 8
S. Cœleſtinus. P. 81. 83. 139
S. Cyprianus Carthagin. 58
S. Cyprianus Telonenſis. 29 31. 200. 201

D Ecretum. 139. 224
Decretales. 224
De la Lande. 84
Du Bouchet. 161
Dio. 19
Dynamius Patricius. 177. & 78. 181

E Ginhardus. 7
Eucherius. 128. 131. 186. 198. & 99. 205. 212
Euſebius. 85. 217. 225

F Auſtus. 37. 88. 89. 90 & *ſeq.* 129. 137. 176. & 79. 199. 205
Flavius Dexter. 54
Ferdin. Ughellus. 5. 9. 104
Ferrandus Diaconus. 222
Franc. Hallerius. 223. 226
Fulbertus. 228

G Abriel Albaspinæus. 139.
Gagneïus. 218.

Gg

Gariellus. 153
Genebrardus. 172
Gennadius. 212
S. Gregorius M. Papa. 24. 104. 182. 220. 228
S. Gregorius Nyſſenus. 125
S. Gregorius Turonenſis. 113. 115. & 16. 213
Guibertus Abbas. 42
HAdrianus II. P. 228
Hadrian. Valeſius. 152
Henricus *de noris* 188. 195. 198
Herib. Roſvueydus. 212
S. Hieronymus. 198. 201. 214. 219. 222. 226
S. Hilarius Arelatenſis. 50. 56. 71. 75. 107. 185. & 6. 195. 219
Hilarius Papa. 32. 99. 215
Hincmarus. 224
S. Honoratus Maſſilienſis. 185. 187. 190. & 91. 2. 206
Honoratus Bucheus *Bouche*. 117. 157. 160. 193
Horatius Juſtinianus. 166
Hubertus Goltzius. 10. 21
Hugo Victorinus. 58
JAcobus Sirmondus. 94. 95. 152. 210. & 11
Innocentius I. P. 32. 139
Innocentij III. Epiſtol. 158
Inſcriptiones. 17. 18. 19. 23. 30. 73. 123. 166. 174
Joannes *Colomby*. 153
Jo. Chenutus. 164
Jo. B. Gueſnaïus. 66. 95. 111
Jo. Mabillonus. 227
Jo. Noſtradamus. 79
Jornandes. 24. 112. 220
S. Irenæus. 144
Itinerarium Antonini. 29
Julianus Anteceſſor. 218. 19. & 20
S. Leo Papa. 97. 139 & 40. 187. 210. & 11. 15. 18
Leo IX. P. 7
Leontius in vita Sancti Joannis Eleemoſyn. 219
Leporius. 51. 52. 54
Liberatus Diaconus. 217
Lucas Holſtenius. 64. 211. 215
Ludovic. *du Four*. 78. 117. 151
Lud. Morerius. 51. 117
MArculphus. 227
Martyrologia Forojulienſe. 60. Gallicanum. 99. 117. 153. Romanum. 59. 207. S. Sabini MS. 60. 107. Monaſticum, *vide* Arnaldus *Vvion*.
Martinus *Marrier*. 168
Merula. 16
Metaphraſtes. 225
Miſſales libri MS. 58. 63

Nicolaus Antelmius. 23.170
Nicolaus Peireskius. 17. 23. 74

Odoricus Raynaldus. 163
Onuphrius Panuinus. 46. 178
Ordericus Vitalis. 224
Palladius in Lauſiaca. 204
Palladius Forojulienſis. 151
Pamelius. 58
Paulinus Nolanus. 226
Pandectæ. 22
Paſchaſinus Lilybetanus. 103
Paulus Diaconus. 6
Petrus F. Chiffletius. 104. 122
Petrus Gaſſendus. 10
P. Joffredus. 20. 111
P. Marca. 120. 193
P. Victor. 178
Philip. Labbeus. 177. 189
Philip. Ferrarius. 3
Philip. Cluverius. 3
Photius. 65. 66. 82
Pintus. 126
Plinius. 1. 3. 4. 10. 16. 21
Plutarchus. 21. 196
Pœnitentiale Forojul. 141
Pomponius Mella. 10
Procopius. 102
S. Proſper. 82. 103
Prudentius. 56. 113
Ptolomeus. 3. 10
Quercetanus. 224
Queſnellus. 98
Raymundus *Feraud.* 77. 78. *& ſeq.*
Rituales libri MS. 57
Regulæ Monaſticæ. 213. 220
Sacramentale Forojulienſe MS. 57. 225
Salvianus. 225
Sammarthani. 68. 188. 191
Samuel *Guichenon.* 157
Savaro. 93. 94 *& ſeq.* 178
Seneca. 144
Severus Sulpicius. 217
Sigebertus. 7
Stephanus Baluſius. 153. 221
Strabo. 10
Suetonius. 10. 13. 14
Tacitus. 10. 14. 15. 16. 20. 22. 144
Tertullianus. 144
Theodoretus. 206. 217
Theodorus Balzamon. 220
Theophilus Raynaudus. 212
S. Thomas. 141
T. Livius. 218
Trithemius. 194
Valerianus. 212. & 13
Valerius Maximus. 195

Varro & Vitruvius. 178
Velleïus Paterculus. 21
Victor Vitenſis. 102
Vincentius Lirinenſis. 82
Vitalis Oſcenſis. 219
Vitæ acta S. Honorati MS. 77.
79. S. Capraſij. 184. 196.
S. Armentarij MS. 78. S. Virgilij. 199. S. Eugendi. 204
Ulpianus. 141
Uranius Presbyter. 119

Yvo Carnotenſis. 157

Zacharias P. 235
Zozimus P. 29. 52

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

ABBAS qui ſit præficiendus. *pag.* 186
Abbatis jura in diſciplinam internam Monaſterij. 75. 227 Abſque ejus conſcientiâ Monachis Clericatum appetere nefas. 225. & 226. Abbati ſuberat Præpoſitus in eodem Monaſterio. 213
Abbas eligi debet à propria Congregatione. 228
Abbatum Lirinenſium ſucceſſio poſt S. Honoratum. 133. 176. 213
S. Acceptus eligitur in Præſulem à Forojulienſibus. 43. Falſa ſibi crimina impingit. 44. Ejus cauſa ad Synodum I. Valentinam defertur judicanda, eâque excidit, ſeu potiùs ſtat. *Ibid.* In eum Forojulienſium vota & ſtudia. 44. 46 Laudatur à Synodo. 45. Exemplo ſuo prælucet S. Ambroſio. 46. Non fuit primus Forojulienſium Epiſcopus. 47 Id multis rationibus demonſtratur. 48 & 49
Adrumetini Monachi Semipelagianiſmi auctores. 83 Eorum privilegia circa Abbatum electionem. 228.
Africa à Uvandalis occupatur. 100
Agaunenſium Monachorum regulam expetit S. Marinus Lirinenſis. 204
S. Ambroſius electus Mediolanenſis Epiſcopus, eodem anno, quo S. Acceptus ad Forojulienſem Sedem aſſumitur. 45. & 46. Utriuſque artes & labores ne Sacerdotes inungerentur. 45. 45. & *ſeq.* Ambroſij piæ fraudes contra vota ſuccedunt. 45
Antipolitanæ Civitatis ſplendor & celebritas. 35 Inter Italicas Urbes recenſebatur. 13. 36. Ejus Eccleſiæ antiquitas. 37. 38. Quàm ſit Forojulienſi inferior. *Ibid.* Antipolitana Eccleſia ſub Evario agitata. 111 Maximum Lirinenſem, quaſi proprium indigenam, in

Præſulem expetit. 37. 91
Apollinaris Sidonius Leontio Arelatenſi Epiſtolam inſcribit. 94 95. *Item* Baſilio Aquenſi 111. Fauſtum Reïenſem, nec non Lirinenſes ſæpiùs laudat. 199. Teſtis fuit perſecutionis ab Evarico excitatæ 111. Ejuſdemque aliquas circunſtantias illiberaliùs tradit *Ibid.* Eam aliquando deſcribere propoſuiſſe videtur. 114 Sed argumenti copiâ deterritus, aut alia de cauſa manum retrahit. *Ibid.*
Apoſtolorum diſcipuli quo conſilio ad fidem propagandam uſi? 87
Aquæductus Forojulienſis, opus ſtupendum & Romano nomine dignum. 12 Cur C. Caligulæ adſcriptum? 13
Aquileïam ob hoſtiles incurſiones Patriarchæ derelinquunt. 6 In Oppido Cormones, Sedem ſtatuunt. *Ibid.* Poſtea in Caſtro Forojulienſi, è quo Amatorem Julienſis Caſtri, ſeu Julij Carnici tùm exciſi, Epiſcopum ibi confugij gratiâ manentem pellunt. *Ibid.*
Aquileïenſes Patriarchæ dicti etiam ex tunc Forojulienſes. 7 Eorum cum Gradenſibus Patriarchis controverſiæ conſopitæ. 8 Aquileïenſis Patriarchatus Utinenſem Civitatem decoravit. 8 Gradenſis autem Venetam. 9
Aralucus *Arluc* Virginum Lirinenſium Monaſterium florentiſſimum. 207 Locus olim veneris templo celeber. *Ibid.*
Arelatenſis Sedis dignitas & privilegia. 29. 30. & *ſeq.* 214. Pro eorum inſtauratione ſcribunt Provinciales Epiſcopi. 138
Arelatenſe Concilium III. vulgò dictum ante Calchedonenſe celebratum fuit 210 211. 220. & 21
Aſterius Forojulienſis Epiſcopus. 121 139. Intereſt Concilio Romano. 151 An. fuerint duo ejuſce nominis in eadem Cathedrâ? 152
S. Auguſtinus Lirinenſes valdè laudat. 82 Leporium Monachum ab errore revocat. 51. Et pro eodem fidejuſſor ſcribit ad Provinciales Epiſcopos. 52. Moritur & ex ejuſdem Commentariorum occaſione turbantur Provinciales quædam Eccleſiæ. 81. Ejus doctrina à Cœleſtino Pontifice egregiè commendata. *Ibid.* Ejuſdem de divina gratia definitiones in fidei canones conflatæ in Concilio II. Arauſicano. 84
Aureliano Imp. Columna dedicata à Forojulienſibus. 19. Quid habeat hæc ſingulare in ejuſdem Imperatoris Conſulatuum expreſſione? *Ibid.*
Aureliæ viæ veſtigia illuſtrata. 73
Auxilius ſeu Auſilius ex Monacho Lirinenſi Epiſcopus Forojulienſis. 151 Laudatur ab Apollin Sidonio. *Ibid.* Ejus memoria in Eccleſia Forojulienſi: Corpus Calacij cōlitur. *Ibid.*
S. Aygulfus Lirinenſis Monaſterij collabentem diſciplinam inſtaurat. 208.
Ejus Martyrij acta interpolata. *Ibid.*

B

Baptiſmi infantium antiquus ritus in Eccleſia Forojulienſi. 57
Baronij ſententia de Epiſcopali Sede Forojulienſi in Italia reprobatur. 6. Varia ancepſque ejus opinatio de Epiſtola Apollin. Sidonij ad Leontium. 93 & 94
Baſilij altercationes cum Anthimo circa Diœceſeon diviſionem. 27. Ejuſdem ſapiens ordinatio pro inſtitutione Sedium Provinciæ Iſauricæ. 40 & ſeq.
Baſilij Aquenſis Epiſcopi Chronologia elucidata. 191 & 92. Interfuit exequiis S. Hilarij Arelatenſis, dùm ejus Eccleſiæ eſſet Preſbyter. *Ibid.* Ejus pia induſtria ad populum feretro B. viri circumſiſtentem repellendum. *Ibid.* Ad eundem extat inſignis Epiſtola Apollinar. Sidonij. 110. & 111. 116
Bartholomæus *Graſſy* Epiſcopus, commiſſarius Apoſtolicus contra præſtigiatores & magos. 165 Statuta cum Canonicis conficit, & Eccleſiam variis donariis auget. *Ibid.*
Bartholomæi Camelini Epiſc. commendatio. 72
Bertrandi Forojulienſis in Lirinenſes liberalitas. 60. 56. & 210
Bertrandus de Caſtelana Epiſcopus, quo anno objerit? 156 In eum capitalem ſententiam non potuit ferre Ildefonſus, ut paſſim traditur. 156
Bertelli Reienſis Hiſtorici varij lapſus & fædi errores annotantur. à p. 175 ad 183
Betto Forojulienſis Epiſcopus ex actis Concilij Cabilonenſis. 153 Quomodo variantes lectiones, quæ in Epiſcoporum quorundam ſubſcriptione occurrunt, intelligi & conciliari poſſint. *Ibid.*

C

Cabilonenſe Concilium III. 153
Cęſarius præcipuus S. Auguſtini cultor. 83 & 84. Semipelagianiſmi reliquias magnâ laude conterit. 84. Ante Epiſcopatum, fuit Lirinenſis Monachus. 83. Cellarij officium exequitur magna cum diſcretione. 200. Ejuſdem victus ſingularis aſperitas. 201. Monaſterium Virginum Arelate inſtituit & quibuſdam privilegiis communit. 228
Calaritani Martyres. 124 & 125
Calmeliacenſe Cœnobium inſtituti Lirinenſis. 205. & 6
Canonici Forojulienſes moniti ab Innocentio III. ad electionem Epiſcopi procedere. 158 Ut in toto Comitatu poſſint, etiam irrequiſito Principe, qualicunque jure acquirere, eiſdem & Eccleſiæ conceſſum & quare? 159 Diviſio eorum præbendarum. 161. Et diſtributionum diminutio ob Menſę penuriam 165.
Caroli Taxij Canonici pietas & veneranda memoria. 173
Caporoſſe eremus prima Honorati

& Lirinenſium habitatio. 71 *&* 72 Cur inde diceſſerint? 71 Adjacebat ei via Aurelia. 73
S. Capraſius moderator Honorati & Venantij. 184. Cum eiſdem in Peleponeſum navigat ætate confectus. *Ibid.* Lirinum colit & Honoratum conſilio juvat. 186 Ejus beatus obitus. 137 Tempus ejus & ætas examinantur. 184. 185
Carthuſiani primi inſtituti tenaces laudati. 204
Carthuſiæ Vernenſis fundatio per Forojulienſem & Telonenſem Epiſcopos. 157
Caſſiani patria. 64 Inſtitutum. *Ibid.* Fama & doctrina. 75 *&* 76 Libros ſuos de Inſtitutis Cœnobiorum inſcribit S. Caſtori Aptenſi Epiſcopo. 64 Collationes decem priores Leontio Forojulienſi dedicat, nec non Helladio. 64. 65 *& ſeq.* Quibus præciſe temporibus varia illa opera ſcripſerit. 67 *&* 69 Semipelagianos errores propinat Lirinenſibus. 76 Ortum bonæ voluntatis homini ineſſe docet. 83
S. Caſtor Aptenſis Epiſcopus & S. Leontij germanus. 65 Tempus ejus obitus. 69
Cellarij ſeu Cellararij officium. 201
Cellula S. Honorati in eremo *Caporoſſe.* 72 Plurimo cultu frequentatur, etiamſi acceſſus ad eam ſit valdè periculoſus. *Ibid.*
Cellulis diviſis degebant Lirinenſes, in eoque ab Ægyptiis Patribus diſſerebant. 198 *&* 99
Chelidonius Viennenſis Provinciæ Epiſcopus ab Hilario Arelatenſi depoſitus, à Leone Papa reſtituitur. 97
Chlodovæi Regis Epiſtola ad Epiſcopos Regni ſui. 225
Chriſma à ſolo Diœceſano accipi debet. 224
Cleri Forojulienſis ſanctitudo & celebritas. 46. Eidem adſcribitur S. Leontius. 70
Clerici in ordinatione addicebantur propriæ Eccleſiæ. 226 Ab Altaris Miniſtris rectè ſecernuntur. 221. Peregrini, Diœceſani præcepto, in Communionem recipiendi. 225
Clerici à proprio Epiſcopo ordinari debent, uti & Monachi. 222
Clericatum Monachis appetere familiare. 225. 226. Prohibitum tamen citra Abbatis conſcientiam. *Ibid.*
Cœleſtinus P. Eccleſiarum Galliæ tumultus compeſcit, & S. Auguſtini doctrinam commendat. 81 *&* 82 Ejus Epiſtola impensè laudatur. *Ibid.*
Collatio & Conlatio quam ſignificationem habeat. 218 *&* 19. Collatores & Collaterij. *Ibid.*
Communio infantium recens ablutorum ſub utraque ſpecie. 57 *&* 58
Confirmatio eſt conſummatio perfectæ Chriſtianitatis. 226 Conferebatur infantibus recens baptizatis, ex ritu Eccleſiæ Forojulienſis. 57
Controverſia inter Arelatenſem & Viennenſem

Viennenſem Præſules ratione Primatus conſopita. 28 Magnis utrinque ſtudiis renovatur & incaleſcit. *96 & 97* Dirimitur à S. Leone in præjudicium Sedis Arelatenſis. *Ibid.*
Contumelioſi ReïenſisEpiſcopi cauſa, crimen, depoſitio & Chronologia. 180
Concilij Arelatenſis III. vulgò dicti vera epocha inveſtigata. 210 & 11. Habitum eſt ante Calchedonenſe. 220 & 21
S. Cyprianus infantium Communionem laudat. 58
S. Cyprianus Telonenſis Epiſcopus ſcriptor vitæ S. Cæſarij Arelatenſis. 201

D

DApiferi dignitas, quæ? 157 Quòd eâ inſigniti eſſent viri Eccleſiaſtici ægrè tulit D. Bernardus. *Ibid.*
Dimiſſoriæ literæ etiam Monachis ad Ordinationem neceſſariæ. 122. & 23. Lirinenſes eas à Forojulienſi Epiſcopo petere juſſi. *Ibid*
Diœceſeon diviſio & ordinatio. 27 Quàm fuerint aſſignati tractus, vel ſervandi, vel etiam ampliandi ſtudioſi Primates & Epiſcopi. 27. 28. *& ſeq.*
Diœceſes novæ non conſtituebantur, abſque ejus Epiſcopi conſenſu, à quo tenebantur. 31. 40. 41
Diœceſes alienas vindicare prohibitum. *Ibid.* Propriaſque in alios transferre illicitum. 32. Epiſcopi ſæpè novarum Diœceſeon inſtitutioni conſenſum denegarunt. 32. 40. *& ſeq.*
Diœceſis Forojulienſis ampliſſima 34. Plures etiam ſub ſe Parœcias habuit antiquitus. 34. *& ſeq.*
Diœceſeos originis nulla aut exigua ratio olim habita. 223
Diœceſani Epiſcopi jura antiqua. 74
Dionyſius *Talon* primarius Advocatus Catholicus laudatur. 224
Documenta Eccleſiæ Forojulienſis ſæpiùs diſtracta & concremata. 26
Donationes ſeu reſtitutiones factæ Eccleſiæ Forojulienſi à Principibus Guillelmo I 155. Ildefonſo II. 158. *& 159.* Raymundo Berengario. 159. Karolo II. 162. 163. Joanna Regina. 165. Yolanda Regina. 167
Dynamius Patricius ſcribit vitam B. Maximi ex Abbate Lirinenſi, Epiſcopi Reïenſis. 181. Ejus vitæ titulus depravatus & reſtitutus. *Ibid. item,* 182.

E

ECcleſiæ Forojulienſis Initia obſcura & illuſtria. 26. 27. 43 Ejus nobilitas & antiquitas adumbratur ex notitia & diviſione Diœceſeon Provinciæ. 28. 29 Ex ejuſdem Diœceſeos amplitudine. 34. Ex Eccleſiæ Antipolitanæ, aliarumque vicinarum antiquitate. 36. 37. *& ſeq.*

Ex uſu Orientalium & Occidentalium planè conformi in conſtitutione Sedium & diviſione Diœceſeon. 39. 41. Fuit nutrix & mater celeberrimi Lirinenſis Cœnobij. 220. Eidem canonem ſeu ſtipendium ad Monachorum ſuſtentationem præſtitit. 218. *&* 19. Utebatur ſæpè Lirinenſibus ad obeunda ſacra miniſteria. 227. Abſque ejus conſenſu aliæ Eccleſiæ eos aſſumere non poterant. *Ibid.*

Electiones ex Clero propriæ Eccleſiæ fieri conſuetæ. 132

Epiſcopi Monaſteriorum fundatores & benefactores. 219 Eis conceſſum dotare Monaſteria ex bonis Eccleſiæ. *ibid.* Et quando hæc facultas ad certam portionem coarctata. 220 Debent curam gerere Monaſteriorum, & Monachis, quæ ad victum ſunt neceſſaria, ſuppeditare. *Ibid.* Non poterant recipere, vel ordinare Monachum alterius Diœceſeos. 222

Epiſcopus domicilij, olim cenſitus proprius Epiſcopus. 223

Epiſtola Concilij Valentini I. ad Clerum & Plebem Forojulienſem. 44. *&* 45

Evaricus Vveſegothorum Rex Rhodanum trajicit Maſſiliam & Arelatem occupat. 110 In Catholicos apertè ſævit. 111. Epiſcopos exilio & morte afficit. 112. *&* 13. Ejuſdem cum Genſerico neceſſitudo ob Arianam perfidiam. 115.

Eucherius pater SS. Salonij & Verani Epiſcoporum. 199. 215. Ei ſeptem Collationes intermedias dedicat Caſſianus. 197 Leronem inſulam incolit. 122 Scribit ad Valerianum propinquum ſuum parænecticam Epiſtolam efficaciſſimam. 212. *Item* ad Hilarium. 131. 199. Fuit Epiſcopus Lugdunenſis. 118. Alter ejuſdem nominis eandem Cathedram poſtea occupavit, unde orta ſæpè confuſio. *Ibid.*

Exuperij Toloſani Epiſcopi conſultatio ad Innocentium I. 140

Ejuſdem liberalitas & munificentia in Ægyptios Monachos. 219

F

Fauſtus Lirinenſis Abbas poſt Maximum. 89 Eundem funebri oratione, in Urbe Reïenſi pronuntiatâ commendat. 89 *&* 90 Vir acris ingenij 135 Theodoro Epiſcopo reſiſtit. *Ibid.* Maximum & Valerianum Epiſcopos in partes ſuas adducit. *Ibid. item.* 210. 12 *&* 13 removetur à Monaſterij moderamine Theodori judicio, & fortè à communione. 218. Ejus cauſa examinata in Concilio Arelatenſi. 217. Multos judices ſui fautores habet. 218. Ejus ætas & obitus tempus. 176 *&* 77

Florentius Hipozaritenſis & Secundus Aquenſis Africani Epiſcopi laudatiſſimi ſubſcribunt libello Leporij. 53

Formatarum literarum uſus finis & artificium. 225
Forum-Julij IV. urbium in Orbe nomen 1. & 2. Ex ejus variâ acceptione varij errores exorti. 2 3 & 4.
Forum-Julij in Italia celebre Oppidum 4 Nunquam tamen Epiſcopali Cathedra inſignitum. 5. 6 7. & ſeq. Omnino diverſum à Julio Carnico, ſeu Caſtro Julienſi & à Foro-Livij. 3
Forum-Julij Provinciæ, in Sueltcrorum territorio ſitum. 9. Inter Urbem Reienſem & inſulam Lirinenſem interjacet. 91 Fuit nobilis Phocenſium ſeu Maſſilienſium Colonia. 9 A Julio Cæſare poſtea illuſtrata præcipuiſque ædificiis exornata ab eo nomen retinuit, dictaque. Forum-Julij & Civitas Forojulienſis. 10 Aliis nominibus deſignatur *Navale Auguſti*. 10. Qui huc mittit naves Actiacâ pugnâ captas. 14 *Pacenſis*. 10. *Claſſica* 10. 13. *Colonia Julia Octava*, ſeu *Octavanorum* 10 Harum denominationum origo & ratio. 16. 17. 18. 21. 22. Fuit Patria Julij Agricolæ viri Conſularis, &c. 16 item Valerii Paulini Provinciæ Narbonenſis Procuratoris. 15 Ianua Galliarum & qua ratione? 13. Summo ſemper in pretio Romanis fuit. 14 Traxit ſecum fortunam Imperii & Orbis. 15. Val. Paulini & Forojulienſium ad hoc egregia opera. *Ibid.*
Fori-Julii & Ravennæ par conditio 23 & 24
Foro-Julii quo pacto reſtituta aëris ſalubritas, ex ſiccatis paludibus 24. Vaſtatur à Saracenis Fraxinati. 26. Et inſtauratur à Riculpho Epiſcopo. 149
S. Fulgentius ante Epiſcopatum Abbas. 222 Receptus in alieno Monaſterio, à Diœceſano Epiſcopo repetitur. *Ibid.* Et ne deinceps talia moliri poſſet Presbyter ordinatur. 223

G

Gabellæ ſalis donatio, Eccleſiæ Forojulienſi facta à R. Berengario. 159 Quandiù eo jure potita ſit. *Ibid.*
Galactorius Laſcurrienſis Eſpic. ſub Vveſigothis Martyrium complet. 120
Gaucelinus Epiſcopus in Monaſterium Lirinenſe munificus. 155. 220
Gallicani inſignes Epiſcopi fidem extra ſuas Diœceſes longè propagant 85
Geiſericus Uvandalorum Rex Catholico nomini infenſus. 112. Ex Africa quotannis terribili exercitu Siciliam adjacenteſque Inſulas & Regiones deprædatur. 102 & 3 Crudelius ſævit & majora molitur poſt Valentiniani Auguſti obitum 104 Evaricum adverſus Romanos Imperatores concitat ut

ſecuriùs Africa potiretur. 112
Gothi & Gepedes Uuandalorum nomine deſignati. 120
Gregorij M. de Paulini ſpontanea deditione aſſertio, quomodo intelligenda? 104. 105
Gundabundus Eugenium Cathaginienſem Primatem relegat, in Albigenſem civitatem, ubi finem vitæ glorioſæ reperit. 115. *&* 16
Gueſnaij incuria. 66

H

Hilarius S. Auguſtini doctrinæ cultor & defenſor. 81 Cæleſtino P. Gallicanos tumultus patefacit. *Ibid.*
S. Hilarius Arelatenſis quo anno natus? 181. Ab Honorato converſus fuit 187. Sedis Arelatenſis jura ſolerter tuetur. 96. 97. Chelidonium Præſulem deponit. *Ibid.* Romam concedit, & inſalutato Leone Pontifice Arelatem regreditur. 97. Graviter à Leone reprehenſus. *Ibid.* Ejus obitus certus annus indicitur. 187. Exequiæ. 192. Vita ejus ab Honorato Maſſilienſi deſcribitur. 189. 90. *& ſeq.*
S. Honorati patria. 70 Baptiſmus. 185 Ejus cum Leontio ex tunc conſuetudo. 70. Peregrinatio. 185. 195 Ægyptios Patres an inviſerit? 196. *&* 97. Receſſus ejus in Provinciam, Leontij neceſſitudine & viciniâ, allecti. 71 *Caporoſſe* deſertum vicinum incolit. 72. Mox diſcedit ob viciniam viæ Aureliæ. 73. Lirinum adit. 74. Monaſterium inſtituit. *Ibid.* Et ſolus moderatur. 186. Sacerdotio invitus alligatur à Leontio. 75 Ejus illibata fides. 76. *&* 77. Patriam reviſit Hilarium conſanguineum ſuum Chriſto lucraturus. 187 Quem de facie antea cognoviſſe videtur. 187. *&* 88. Ad Arelatenſem Sedem aſſumitur. 91. 186. Eamque viriliter gubernat & obit. 187. Ejus ætas examinatur. 185. *&* 86
Honoratus Maſſilienſis S. Hilarij Arelatenſis vitæ verus & indubitatus auctor. 190 *& ſeq.* Quo tempore Maſſiliæ ſederit. 191
Hunericus Uvandalorum Rex nullas in Gallias excurſiones fecit. 113

I

Jacobus *de Oſſa* Forojulienſis Epiſcopus ejuſque conſtitutio circa feſtum S. Leontij 61. *&* 62. Factus Pontifex Max. Eccleſiæ ſuæ Forojulienſis memor & benefactor. 162 *&* 63. Deputat Barth. *Graſſy* ſuum, in hac Sede, ſucceſſorem ad informandum contra præſtigiatores vitæ ſuæ inſidiantes. *Ibid.*
Ildefonſi Comitis in Eccleſiam Forojul. liberalitas 158
Ingenui Ebredunenſis Epiſcopi jura inſtaurata. 215
Joannes Caſſianus *vide* Caſſianus.

Joannes Forojulienſis Epiſcopus intereſt Concilio Romano in quo depoſitus fuit Ioannes XII. 154. Non erat ille Epiſcopus Italus. *Ibid. item.* 155

Joannis ſub nomine Forjulienſis Epiſcopi in concilio Piſano ſubcriptio, quomodo explicanda, cùm Egidius eodem nomine actis ſubſcripſerit. 167

Julio-bona eadem, quæ Auguſto bona, ſeu Auguſta Tricaſſium. 152

L

Latinæ linguæ uſus & propagatio. 195

Lectio in menſa adhiberi ſolita in Cœnobiis, & à quo inſtitutio illa fluxerit. 201

Leo *Guerinet* Epiſcopus jurium Eccleſiæ vindex laudatiſſimus litem primus intentat, pro inſtauratione dominii Eccleſiæ. 168

Leonacenſe Canonicorum Collegium ab Egidio *Iuvenis* Epiſcopo fundatum. 167

S. Leontius Forojulienſis Epiſcopus aſſertus & celebratus innumeris monumentis. *à* 56. *ad* 63 Plures ejuſdem nominis Præſules IV. & V. Eccleſiæ ſæculo. 67

Leontii Patria Nemauſus. 69. Juvenis conſuetudinem init cum S. Honorato. 70 Patrimonium ſuum in cognatos & pauperes erogat. *Ibid.* Fuit frater S. Caſtoris Aptenſis Epiſcopi. 65 Clero Forojulienſi adſcribitur. 70. Divino nutu conſtituitur Epiſcopus. 71. Ejus viciniâ & caritate allectus S. Honorarus colit primò deſertum *Caperoſſe*, deinde Lirinenſem inſulam. 71 Honoratum reluctantem Sacerdotio initiat. 75 Et cum eo Regulam Lirinenſibus præſcribit. 74. Vindicat ſibi jura Epiſcopalia in hac nova Congregatione. *Ibid.* Ejus alter parens & fundator cenſeri debet. *Ibid.* Eidem, Caſſianus X. priores Collationes Patrum dicat. 64 Nec repugnat Photii auctoritas. 66 Ejus intemerata fides. 76. Zelus & labores adverſus inſurgentes hæreſes. 77 Apoſtolatus ejus in Germania nobilia veſtigia expenduntur. 86. 87 Bonifacius & Cæleſtinus ad eum Epiſtolas dirigunt. 81. 84. Ejus obitus epocha certò primùm ſtabilita. 91. 92. Non fuit notus Apollinari Sidonio. 95. Non fuit ſequeſter controverſiæ inter Arelatenſem & Viennenſem Præſules. 97. & 98. Hilarus Papa ad eum non reſcripſit. 99. Captivitati ſe libens dedit ad liberandum gregem. 101 Martirij ejus fides haud leviter rejicienda. 100. Illi tamen præjudicat Chronologiæ ratio. 105 Leontij duo fuiſſe videntur. 106. 7. 8 *& ſeq.* Quibus momentis id adſtruitur. 112 *&* 13 Nulla huic ſententiæ præjudicant. 115. 16. *& ſeq.*

Leontius Honorati Coætaneus & Lirinenſium fautor, Confeſſor tantùm videtur aliquibus. 108. *& ſeq.*

Leontium. II. alterum juniorem ſediſſe circa Evarici tempora & ſub eodem paſſum eſſe plura ſuadent. 110. & 112. Potuit etiam tùm in Africam relegari. 115. Leontius ſenior attamen facile potuit, conſequentibus ſæculis, Leontij junioris nomen & memoriam eripere. 120 Varia de eo exempla referuntur. 118. & 19.

S. Leontii Martyris Reliquiæ non repertæ ſunt in Eccleſia Calaritanâ Sardiniæ. 123. Impoſturæ circa id tentatæ. 124

Leontii in Sardinia paſſi quorum Reliquiæ repertæ? *ibid.*

Leontius Arelatenſis ſedet poſt Ravennium. 67. 210. Hilaro Pontificatum gratulatur. *ibid.* Ad eum ſcribit Apollin. Sidonius. 94. 95 Collationes ſuas Leontio Caſſianus non inſcripſit. 67

Leontius Burdegalenſis ſenior. 68. Alter junior interfuit Concilio Pariſienſi. 68 Neutri eorum Caſſianus dicare potuit ſuas Collationes. *ibid.*

S. Leo magnus ſcribit ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis in cauſâ Hilarii. 97. Leontio ſeniori Epiſcopo convocandarum ſynodorum facultatem impertit. *ibid.* Hilarium acriter criminatur, ejuſque in depoſitos Epiſcopos ſententiam irritat. *Ibid.* Sedis Arelatenſis privilegia imminuit, Arelatenſem & Viennenſem Provincias de novo dividit & utrique Metropolitæ Diœceſes proprias aſſignat & determinat. 125. Scribit ad Theodorum Forojul. 141 *Item* ad Provinciales Epiſcopos de exitu concilii Calchedonenſis. 210. 211

Leporii Monachi error & expulſio. 51. Monetur à Caſſiano. 54. Ab Auguſtino corrigitur. 51. Retractationem emittit ad Proculum & Quillinium proprios Epiſcopos & quando? 52. 3. & 4.

Lirinus & Lirinenſis Inſula, venenatorum animalium metu, inacceſſa, Honorato & Lirinenſibus pro domicilio cedit. 71. Nobiles è ſæculo transfugas recipit. 128. 225. Per omnes Provincias Sacerdotes erogat. 227 Sed Eccleſiæ Forojulienſi prærogativo jure Miniſtros præbet. *Ibid.* Viri ibidem doctrinâ & ſanctitate celebres. 76 Eorum fidei defenſio. 76. 82. 3 & 4

Lirinenſium regula & inſtitutum. 194. & *ſeq.* Vitæ ratio. 200. & 201 Diviſis cellulis habitabant. 198 & 99. Propagatio. 205. 6. & 7. Celebritas & laudes. 76. 128 Eccleſię Forojulienſis collatione, ſeu penſionibus, ſtipendiis & ſolatiis ſuſtentabantur. 218. 19. & 20.

Lirinenſes vocantur ad Concilium Arelatenſe. 214

M

Macarius falsò aſſertus Aquenſis Epiſcopus 193

S. Marinus Lirinenſis Agaunenſium regulam expetit 204
Martyrologij Gallicani inſignis error. 99.
S. Maxima Virgo Forojulienſis 207 In Monaſterio Aræluci Lirinenſium,inſtituta fuiſſe videtur. *Ibid.* Ejus corpus Calidiani venerationem obtinet *Ibid.*
S. Maximus S. Honorato ſuccedit in Lirinenſi regimine. 91. 131 Præeſt eidem per annos ſeptem. 90. 176. A Forojulienſibus in Præſulem electus expetitus & inquiſitus 91. 129 Fugâ elabitur. *ibid.* Ejus periculum in hac fuga 130. Paulò poſt ad Reïenſem Sedem ſublimatur. 91. Reïenſium Protomiſta non fuit, etſi primus ſit Epiſcopus germano titulo notus 179. Solus ejus nominis Cathedram Reïenſem tenuit 178 & 79. Ejus vita à Dynamio Patricio conſcribitur. 181 A Fauſto ſucceſſore ſuo celebri oratione panegyricâ Reï pronuntiatâ commendatur. 89. 90. Fauſto adhæret contra Thedorum Forojulienſem 210 Ejus tamen memoria magnificè recolitur ab Eccleſia Forojulienſi & uti Forojulienſis Epiſcopus cenſetur. 213
Maximus Avenionenſis Epiſcopus 215. Fuit ex judicibus controverſiæ inter Theodorum & Fauſtum in Concilio Arelatenſi. *Ibid.*
Maximus Aptenſis 193
S. Mayolus Abbas Lirinenſis 208
Metropolitani ampliandæ Provinciæ ſuæ ſtudioſi. 27. Eiſdem dignitas ſervatur Reſcripto Leonis contra Hilarium Arelatenſem. 99. Solebant in Conciliis ſedere poſt Epiſcopos Ordinatione antiquiores. 215
Monachi debent ſubeſſe Epiſcopis 221. Circumcurſantes in urbibus ab Epiſcopis debent coërceri *Ibid.* Fit quandoque ex bono Monacho malus Clericus. 222. Non poterant ordinari ab alieno Epiſcopo, etiam ex privilegio 223 Nec Clericatum appetere,niſi ex Abbatis conſcientia 225 Quàm fuerit eiſdem frequens & noxia Clericatus appetentia 225. 226 Et cur à Patribus dictum,eis Epiſcopos, ac mulieres perinde eſſe vitandos. 226. Ad Clericatum promoti Monaſtica munia non obibant 226. & 227
Monaſterium Lirinenſe toto Orbe celebre 74. 76
Monaſterium Virginum Lirinenſium Aræluci *Arluc.* 207
Monaſterium S.Caſſiani Maſſiliæ.75
Monaſteria debent eſſe in poteſtate Epiſcoporum. 221. Africanorum ſingulare privilegium. 228 Cauſæ eorum ad Primates Provinciæ judicandę remittebantur.227. Fuerunt à Conditione Clericorum libera. *Ibid.*
Monaſteria habent facultatem eligendi Abbatem. 228 Cur pluri-ma deſtructa fuerint. *Ibid.*

N

Apoule vicus ad viam Aureliam. 74
Narbonenſis Provinciæ II. diviſio. 36
Narbonis ſplendor & dignitas. 10.
Neophyti dicuntur aliquando novitii Clerici, vel Monachi. 224 Vel novelli Chriſtiani è Judæis facti 225. Sed univerſaliùs, recens Baptizati. *Ibid.* A proprio Epiſcopo confirmari debent. *Ibid.*
Nicolai de Fliſco Epiſcopi elogium. 170 Sedem Forojulienſem deſerit. 169. Et iterum reſumit. 170 Ejuſdem in Eccleſiam munificentia. *Ibid.*
Nummus Auguſti de Foro-Julii. 10 Neronis. 21. Domitiani. 10

O

Obitus S. Leontii vera epocha. 91. & 92
S. Odilo Abbas Cluniacenſis & Lirinenſis. 208 Rogat Burchardum Viennenſem ordinare Monachos ſuos, abſque Diœceſani conſenſu. 223 Quomodo repreſſa hæc Diſciplinæ infractio? *Ibid.*
Oliverius ex Carthuſiano Epiſcopus Forojul. Divinæ benignitatis & patientiæ vir. 160

P

Palladii Forojulienſis Hiſtorici error de Theodoro Forojulienſi Epiſcopo. 139. *item* de Aſterio. 151
Paſchaſini Lilybetani Epiſtola ad Leonem Papam de Paſchate quando ſcripta? 103 Uuandalicę impreſſionis in Siciliâ teſtis fuit. *Ibid.*
Paphnutius cognomento Bubalus. 200
S. Paulini Sacerdotium. 226 Deditio pro captivo liberando. 101 Quo anno non contigerit. 104 An duo fuerint Paulini Nolani Præſules? 105. Et cui eorum convenientiùs adſcribi poſſit hæc ſpontanea deditio? 118
Peregrini Clerici à quo debeant in communionem recipi. 225
Photius teſtatur Collationes X. Leontio, à Caſſiano, dedicatas fuiſſe. 66
Piloſus liber Forojul. Capituli. 27
Pelagius damnatus in Concilio II. Carthaginienſi. 54.
Pelagianos errores Caſſianus Lirinenſibus obtruſit. 76
Pœnitentia quomodo concedenda. iis qui eam in infirmitate expetunt. 140. Aliiſque qui ante adventum requiſiti jam ſacerdotio vi morbi oppreſſi obmutescunt. *Ibid.*
Præpoſiti Officium in Monaſteriis quod? 213
Proculus Maſſilienſis Epiſcopus Leporium prava ſentientem pellit. 51 In Proculum ſcribit Zoſimus. 52 Quo tempore Eccleſiæ ſuæ regimen deſeruit. 52
Procuratoris officium magnæ authoritatis apud Romanos. 20
Proſæ rithmicæ antiquæ, vera interdum

dum exhibent, falſa etiam ſæpè repræſentant ad ſervandam rithmi conſonantiam. 212

Protectio Sedis Apoſtolicæ quomodo differat ab immunitate & exemptione. 223. Ex doctrinâ Alexandrij III. 224, Gloſſæ, & Gloſſatorum. *Ibid.*

S. Proſper non fuit Reïenſis Epiſcopus 176. Ex manifeſta Chronologiâ id oſtenditur. 177.

Q

Quillinius an Accepto in Sede Forojulienſi ſucceſſerit? Idem eſt ac Iulianus. *Ibid.* Cum Proculo Maſſilienſi communem operam locat contra Leporium Monachum. 54

Quillinij exiſtentia tamen haud certa ex omni parte. 55 & 188

Quinnidius, ex Monacho Lirinenſi, inter Vaſionenſis Eccleſiæ Clerum adſcriptus. 227

R

Ravennæ dignitas. 24 Deſcriptio & par ejus cum Foro-Julij conditio. *Ibid.*

Ravennius Arelatenſis Metropolita Synodum convocat in cauſa Theodori & Fauſti. 135. Videtur fuiſſe Theodoro infenſus. 210 Et in Lirinenſes proclivior. 37. Quandò & quandiù Arelate ſederit? 190

Raymundus *Feraud* Poëta Vernaculus corruptor actorum vitæ SS. Honorati, Leontij, &c. 77 78. & *ſeq.* Lirini Monaſticen profitetur, ſed fabulas ſuas non retractat. 79. 80

Reïenſis Sedis antiquitas & nobilitas. 177. Fictitios Præſules in vulgatis Catalogis plures habet. 177.8. & 9. Chronologia Præſulum emaculata. 180. 1. 2. & 3.

Reïenſis, Rhegienſis, vel Rhegienenſis & Regianenſis Sedis diſcrimen. 182

Reliquiæ S. Leontij Martyris in Calaritanâ urbe Sardiniæ non fuere inventæ. 123. Commentum ejuſce inventionis detegitur. 124

Reliquiæ SS. Martyrum ex Africa in Sardiniam magnâ curâ tranſlatæ inter Uuandalicas perſecutiones. 125

Reliquiæ S. Leontij probabiliùs in Eccleſia Cathedrali reperientur reconditæ. 127

Riculfus Forojulienſis Epiſcopus Urbem à Saracenis vaſtatam inſtaurat. 149 Reſtitutionem bonorum Eccleſiæ ſuæ impetrat à Guillelmo I. Comite Provinciæ. 59. 149. 151

Ritus Communicandi infantes recens Baptizatos Corpore & Sanguine Domini in Eccleſia Forojulienſi diù obſervatus. 57. Quandiù univerſim in Eccleſia viguerit uſus ille. 58

Ruſticus Narbonenſis Epiſcopus ad Synodum Arelatenſem in cauſa Theodori & Fauſti vocatus. 214

Idem qui à S. Hieronymo ad vitam Monaſticam fuerat inſtitutus, *Ibid.*

S

Sacerdotij & ſacerdotis vox, de Epiſcopo & Epiſcopatu olim intelligebatur. 49

Salonius S. Eucherij Lugdunenſis filius in Lirinenſi inſula inſtituitur. 199 Fit Epiſcopus. 212 Quas Sedes non occupaverit. 215 Fuit Epiſcopus Arelatenſis Metropoleos. *Ibid.*

Sardinia inſula multorum paſſione & depoſitione Martyrum nobilitata. 125

Saraceni Provinciam vaſtant. 26. 149. In Fraxineto arcem conſtituunt, Forum-Julii incendunt & ſolo æquant. 20. Inſulam Lirinenſem populantur. 120. 208.

Seminarium Forojulienſe inſtituitur & dotatur. 173 Sub Patrocinio & invocatione S. Leontij. 274

Semipelagiani non fuere reputati hæretici ante Conciliorum definitiones. 83

Secretarium quæ Eccleſiæ pars? 217 Secretaria, alia externa, alia interna. *Ibid.* Varia erant pro Eccleſiarum ſitu & diſpoſitione. *Ibid.* Concilia in iis celebrari ſolita. *Ibid.*

Sidonius *vide* Apollinaris.

Sicilia per Geiſericum vaſtata Valentiniano Aug. ſuperſtite. 104

Solatia pro quovis auxilio ſumpta. 200. Accepta etiam pro tributi & præſtationis ſpecie. *Ibid.*

Statuta Eccleſiæ Forojulienſis varia 26. 163. Variis temporibus digeſta & elucidata. 167

Statuta Eccleſiæ vallis Moiſſinæ ſeu Alpenſis cujus fidei? 157

Stœchades inſulæ, habitatio ſelectorum Monachorum ſub Theodoro Abbate, poſtea Forojulienſi Epiſcopo. 133

T

Taurinenſe Concilium ſtatuit quædam circa controverſiam Arelatenſis & Viennenſis Præſulum. 96 Conflatum eſt ex Epiſcopis Italiæ. 96

Theodori inſtitutum ante Epiſcopatum inquiritur 131. 32 & 33

Theodorus Cœnobiorum diſciplinam in Gallicanis Provinciis fundat. 133. 188. Stœchades Inſulas habitat. 133. Ibidem à Caſſiano notus & celebratus. *Ibid.* Ad Forojulienſem Sedem aſſumitur poſt S. Leontium. 134. Jura Sedis ſuæ adverſus Fauſtum Lirinenſem acriter tuetur. 135. 211. 12. & *ſeq.* Fauſtum ab officio deponit & ſegregat. 218. Ejuſdem in Lirinenſes moderatio & beneficentia. 218. 19 & 20. Capraſio morienti præſto adeſt. 137. Reienſi & Arauſicano Conciliis ſubſcribit. 138. Pro inſtauratione privilegiorum Arelatenſis Eccleſiæ ſubſcribit cum Collegis, libello

ad Leonem Miſſo. 147. Leonem Conſulit de his qui in exitu pœnitentiam petebant. 140

V

VAlens pro Vitellio imperans in Stœchadibus inſulis captus operâ Valerij Paulini Forojulienſis. 15

Valerianus Cemelenenſis Epiſcopus. 211. Lirinenſibus præpoſitus fuit, ſub Maximo Abbate. 213 Homilias ſcripſit. 212. & 13. Fauſti cauſæ, cum Theodoro, præcipuus defenſor fuit. 211 & ſeq.

Valerij nomen in Tabulis Lirinenſibus irrepſiſſe videtur loco Valeriani. 212

Valerianus Cemelenenſis Epiſcopus, alius eſt ab illo Valeriano ad quem ſcripſit S. Eucherius. 212. & 13. Probatur id variis conjecturis & argumentis. *Ibid.*

Valerius Antipolitanus Epiſcopus Martyrium ſubit ſub Evarico. 111

Valerius Paulinus Provinciæ Procurator & Civis Forojulienſis. 15. 20

Veranus Epiſcopus S. Eucherij Lugdunenſis filius. 212

Veſpaſianus Imperator acclamatus. 15 Et quam operam ad illud præſtiterint. Forojulienſes. *Ibid*

P. Victor deſcripſit Regiones Romę 178. Aſſertus eo nomine Reïenſis Epiſcopus fictitius eſt. *Ibid.*

Victurus an Aquenſis Epiſcopus. 193

Viæ Aureliæ veſtigia illuſtrata. 73 74. Ab Antipoli rectâ ad Forum-Julij deducebatur. *Ibid.*

Urbani de *Fliſco* ad Epiſcopatum nominatio ex reſervatione Apoſtolicâ facta, ingrata Renato Regi & Canonicis. 169.

Uvandali Africam invadunt, & quotannis validâ Claſſe vicinas regiones populantur. 102 & 3

Uvillelmus Forojulienſis Epiſcopus Pontificatum abdicat. 158

Z

ZOzimus Pontifex ſcribit in gratiam Arelatenſis Eccleſiæ. 28 Et contra Proculum Maſſilienſem. 52

FINIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA

ETsi, quæ *Cap. II. Diſſertationis* congeſta ſunt, ad revincendam vulgarem Sententiam ſufficientia videri poſſint, de Epiſcopali Sede Fori-Iulij in Italia olim conſiſtente; ne tamen eâ de re, quâ veluti firmiſſimo fundamento innixa ſunt, quæ de multis Epiſcopis noſtris aſſerta fuere, innitique debent, quæ de eis in poſterum reperientur, ullus remaneat ſcrupulus; eadem magis ac magis elucidare præſtat, ex altera quæ noviſſimè occurrit ratione, illa præſertim roborante, quæ ex occaſione ſubſcriptionis cuiuſdam *Jo.* in Conſilio Piſano an. MCCCCIX. ſub titulo *Forjulienſis Epiſcopi* in noſtrâ nomenclaturâ Chronologicâ in Egidio *Juvenis* conſignavimus. Siquidem nuſquam Præſul ille *Jo.* Eccleſiæ Forojulienſis in Italia Epiſcopus eſſe potuit, cum hâc ipſâ tempeſtate Gregorius XII. in Epiſtola II. convocationis Concilii apud Civitatem Auſtriæ, ſeu Forum-Julij, explicatè teſtatur eandem ipſam in ditione Sacrâ Aquileïenſi ſubſiſtere: *Civitatem Auſtriæ*, inquit, *&* *utrum Aquileienſis Diœceſis pro huiuſmodi celebrando Conſilio elegimus.* Si autem ibidem hoc eſt Auſtriæ ſeu Fori-Iulii & Utini conſtituta tum fuiſſet Epiſcopalis Cathedra, Diœceſis propria iſtic extitiſſet, ab Aquileïenſis planè diverſa. Hæc ad caput II. præcipuè ſpectant.

Cap. XIII. Pag. 59. lin. 2. poſt illa verba: *ad litus maris* hæc adde. In Faſtis autem Sacri Lirinenſis Monaſterii ad Forojulienſem Diœceſim tunc conſtanter ſpectantis, priori loco conſtituitur S. Leontius in hunc modum: *Kal. Dec. Leontij Epiſcopi Chriſanti & Dariæ Mart.* Liber autem ille inſcribitur: *Directorium divini Officii* (ex antiquioribus exemplaribus haud du-

biè exſcriptum) ordinatur *an.* MCCCCXLI. *confirmante Antonio Abbate, cum conſenſu ſui primi Capituli Generalis.* Tum in ſerie eiuſce Directorij hæc leguntur: *de S. Leontio Epiſcopo fiunt VIII. Lec. de vitâ ipſius; IV. ultima fiant de SS. Martyr. Chriſan. & Dar.* Evangelium: *Videns Jeſus turbas.* Oratio propria: *Domine.* Item in alio Miſſali libro antiquiori ad uſum eiuſdem Monaſterii. Primò Leontii memoria, tum Chriſanti & Dariæ Kal. *Decem.* conſignatur, quæ nobilium Inſulanorum Lirinenſium PP. humanitate, etſi poſtremò communicata, prætermitti non debuerunt, ut vel inde pateat S. Leontii vitam Lirini tum extitiſſe, quando ex eius actis VIII. Officii Lectiones deſumi mandabantur. Sed hæc ſaltem beneficientiſſimi Præſulis memoriam in hoc Monaſterio, ab antiquo celebrem fuiſſe convincunt. Atque utinam iidem laudati laudandique PP. Lirinenſes tam certa nobis monumenta ſuppeditent, unde vulgatam eorum traditionem de fundatione Lirinenſis Cœnobii circa annum CCCLXXV. firmare poſſimus, ſanè coniecturam noſtram, quâ S. Honoratum è patrio ſolo exiiſſe XXVI. vel VII. ætatis ſuæ anno arbitrati eramus *Cap. III. Diatribæ*, (cui iſta propriè adjici poterunt) ex omnî parte probabilem facit, additamentum quoddam in oratione funeris S. Honorati ab Hilario conſcripta, à P. Bollando primùm deprehenſum, ſubjectumque *in actis SS. ad* XVI. *Ianuar.* Imò & ex eo facilè colligitur Fundatorem Lirinenſem eam ætatem prætergreſſum fuiſſe. Sic enim præfert: *Hunc ipſum* (Honoratum) *jam tunc cuius hodie memoria paſcimur, Urbi huic Maſſilienſis Eccleſia penè præripuit, hortante illius urbis Antiſtite & tali eo gaudente Collegio, &c. Alacriùs ergo novo admoniti periculo, Maria tranſmittunt, expetunt littora &c.* Si autem Maſſilienſis Eccleſia Honoratum ante profectionem ſuam in Epiſcopum rapere meditabatur, haud dubiè ætatem Canonicâ Diſciplinâ præſcriptam propiùs attigerat, non qualem quidem requirere dicitur S. Clemens *Conſtitu-*

tion. Apoſtol. Lib. II. Cap. I. Sed qualem, ævum illud Eccleſiæ ſanè florentiſſimum, Sanctiſque Viris copioſiſſimum poſtulare videbatur. Statuerat enim expreſsè Canon XII. Laodiceni Concilii ut ad eam poteſtatem ij ſolum proveherentur *qui plurimo tempore tàm verbo fidei, quàm rectæ converſationis exemplo probati eſſent.* Inde Honoratus in Præſulem tum expetitus, probabiliſſimè vir erat annorum XXXV. & ex peregrinatione redux quadrageſimum annum exegerat. Quæ profectò cohærent omninò cum his, quibus memorato capite contendebamus, Honoratum nonniſi ætate maturum Lirinenſe Cœnobium inſtituiſſe, probatioremque faciunt ſententiam noſtram de illius fundatione ſub initium V. ſæculi, ex momentis ibidem allegatis. Sed & eius occaſio additamenti orationis S. Hilarii, cuius vitam,tam gravibus ductis coniecturis, Honorato Maſſilienſi adjudicavimus *Cap.* V. *Diatribæ* revocat in memoriam per nos ibidem aſſertum fuiſſe P. Saxium in *Arelatenſi Pontificio* Ravennio ejuſce vitæ partum tribuiſſe. Attamen ex eiuſdem operis relectione ſatis innotuit, Scriptorem illum non tàm aſſeveranter id tradere, quàm ei idipſum adſcribit Phil. Labbeus in ſua *Diſſertat. Philol. de ſcriptorib. Eccleſ.* ex ſuo etiam explicatè proferens, quod *periiſſe videtur vita ab Honorato ſcripta*: in quam ſententiam ibit nemo.

Pag. 165. *lin.* 2. poſt illa verba *Provinciam ſuam*, adde: Sed his iam prælo mandatis adverti in Regeſtis *Ayrardi* quondam Forojulienſis Notarii inſtrumentum *an.* MCCCLXV. II. *Jun.* ſequentia exhibens: *Item, legavit & ordinavit D. G. bo. mem. Epiſcopus nuper defunctus corpus ſuum ſepeliri in Eccleſia B. Mariæ de Foro-Julio juxta Altare S. Stephani in pariete, & quod fieret ibi Monumentum lapideum, & fuit ordinatum per Cameram Apoſtolicam, de bonis Epiſcopi ſolvi* L. *florenos pro conſtructione dicti Monumenti.* Unde pro certo nunc haberi debet Tranſlationem illam in Martyrologio noſtro memoratam intelligi debere eam, quæ poſt

aliquot annos facta fuit; quando videlicet defuncti Epiſcopi corpus reponi curarunt Executores teſtamentarii in Monumento illo lapideo, quod hodieque eo in loco viſitur ad cornu Evangelii, (nam alterum ex adverſo conſpicuum recentius videtur) tabula marmorea coopertum cum infulati Præſulis effigie dimidii Anagliphi.

Pag. 211. *lin.* 10. poſt illa verba: *certò ſtatuatur*, addito: Sed huic ſuperiori ſententiæ noſtræ paululùm adverſari videtur Epiſtola LVI. S. Leonis Papæ *ad Iulianum Coënſem* ſcripta an. CCCCLIII. quâ queritur: *Geſtorum Synodalium quæ omnibus diebus Conſilii in Calchedonenſi civitate confecta ſunt, parum claram, propter linguæ diverſitatem*, Romæ, *inſtructionem haberi*; unde & ibidem, ea *in Latinum ſermonem abſolutiſſimâ interpretatione transferri* poſtulat. Quamquam & ipſa de geſtis Synodalibus expreſsè debeant intelligi, non autem de definitionibus Fidei & Canonibus quorum plenior in Occidente jam videtur habita fuiſſe notitia. Nec enim inficior Calchedonenſes Sanctiones, ut plurimum ſaltem, Provincialibus noſtris innotuiſſe ex relatû Ingenuli, ſeu Ingenui, qui ex parte noſtrorum ad Leonem miſſus, eiuſdem reſponſum retulit: & ex eiuſdem Epiſtolæ tenore perſpicuum eſt. At cum ipſe Ingenulus, ſeu Ingenuus, ſit Ebredunenſis Antiſtes, inter Patres controverſiæ Lirinenſis Iudices conſedit & an. CCCCLII. K*al. Februarii*, quibus inſcripta eſt memorata Leonis Epiſtola, Romæ adhuc degeret; inde colligere certò poſſumus Concilium Arelatenſe celebratum non fuiſſe *in* K*al.* I*anuarii an.* CCCCLI. ſed potius anno præcedenti: quod enim ipſo *an.* CCCCLII. exeunte, aut aliis conſequentibus non fuerit habitum, ſentire prohibent hæc ipſa quæ citatâ paginâ repoſita fuerunt.

Pag. 227. *lin.* 25. poſt illa verba: *Avenionenſi fortè B. Agricolum*, adde: Nam multi in Eccleſia Forojulienſi ſacrum inferius miniſterium exegiſſe ſuſpicantur: Arelatenſi laudatiſſimum S. Cæ-

ſarium, utique, antequam earum Eccleſiarum renunciarentur Epiſcopi.

Hæc curſim relegenti occurrerunt addenda, vel emendanda, ſed longè plura ab aliis animadvertenda eſſe nullus dubito, quæ ſi mecum communicare dignentur, erit aliquod conſilii pretium, dum horum plurima ſaltem, in opere integro citò venient retractanda & in fuſiorem ſermonem deducenda.

Errata graviora ſic corrige.

PAg. 39. lin. 11. decreſcere ſatagebant *lege* decreſcere plus ſatagebant. pag. 41 lin. 15. tractus circumſcliberentur *l.* tractus circumſcriberetur. pag. 87. lin. 24. ſuceptam *l.* ſuſceptam. pag. 91. lin. 4. preſtitiſſe *l.* perſtitiſſe pag. 120. lin. 31. fuerint *l.* fuerit. pag 124 lin. 8 literas dedit *adde* ad Calaritanum Antiſtititem. pag. 127. lin. 1. hæ *l.* hæc. Ibidem lin. 7. Indeque noſtris &c. æmulantibus *l.* indeque noſtros æmulantes retuliſſe. Ibid. lin. 9. rependentem *l.* rependentium. pag. 161. lin. 15. An. MCCLII. *l.* MCCLIII. pag. 190. lin 23. huicque *l.* hicque. pag. 204. lin. 31. Maximus *l.* Marinus. pag. 210. lin. 20. ſimulatum *l.* ſimultatum. Et ſi quæ alia in interpunctione, vel affinium literarum tranſmutatione, variatáque aliquando, inter Auctoris abſentiam, Orthographiâ, quæ omnia facile Lector corriget & condonabit.

Digitized by Google

E 15.

Digitized by Go